DISPUTATIO HISTORICA DE CONVIVIIS,

QUAM

SUMMO CONVIVATORE AUSPICE,

In Inclutâ Argentoratensium Universitate,

Præside

MATTHIA BERNEGGERO,

Historiarum Professore Publico,

Examini publico Solenniter *submittet,*

Autor

GREGORIUS BICCIUS BUDISSINUS LUSATIUS,

Ad diem Mensis Decembr.

In auditorio Veteri.



ARGENTINÆ,

Excudebat HOLLANDUS FINDLERUS

Anno Christiano M. DC. XXII.

AD CONVIVIUM HOC PHILOSOPHICUM,
Ceu alter Agatho,
Qui
SOCRATEM, PHÆDRUM, ARISTODEMUM, PAUSANIAM, ARISTOPHANEM, ERYXIMACHUM,
invitasse, à PLATONE in Sympolio dicitur:

SEQUENTES VIROS MAXIMOS,
Mæcenatem, Patronum, Præceptorem, Patruum, Parentem, Affinem, Dominos,

JOHANNEM JACOBUM GRASSERUM, Theologum Basileensem, S. Palatii Comitem, Equitem auratum, & civem Romanum;

ISAACUM Gluckhern von Tefzis/ Cameræ Regiæ per utramque Silesiam Administratorem, & Quæstorem;

MARCUM FRORUM, Eloquentiæ Professorem Argentinæ Publicum, & Capituli Thomani Præpositum reverendum;

CASPARUM BICCIUM, Budissinum, Reipubl: Patriæ Secretarium, Senatorem & Capitaneum emeritum;

ZACHARIAM BICCIUM, JC. Gymnasii Budissinensis quondam Rectorem, nunc Scholarcham, & Reipub. Decemvirum principem;

JACOBUM VALENTINUM ESPICHIUM, Phil. & Med. D. practicum apud Argentoratenses felicissimum;

Lubens, quia volo;
Merito, quia debeo.
Invito, Voco, Convoco.
Ergo.
Adeste viri maximi,
Tenuia hæc obsonia serenâ fronte accipite,
Animumq; talium epularum avidum, hoc veluti imaginario quodam ferculo, non pascite solum;
sed exsatiate, sed explete.
Sic optat,
Sic rogat
Symposii hujus Platonici Convivator,
GREGORIUS BICCIUS BUDISSINUS.



ΘΕΟΣ ΘΕΟΣ.

TRalatitium olim fuisse apud veteres in cujusq; operis vestibulo, boni ominis gratiâ prædicta ingeminare verba, ex historicis novimus. Hoc me non modo in toto studiorum meorum cursu fecisse hactenus; sed vel inprimis in conscribendâ hâc quali quali de conviviis disceptatione deinceps favente Deo facturum illæsâ conscientia, quam testem domesticum non inepte alicubi vocat Alstedius, assero. Eâ enim potissimùm de causâ, cum studiorum meorum primitias, quibus debeo, publice consecrare animum induxissem, hanc de Conviviis selegi materiam; ut ex illâ Dei summi illius convivatoris, & incredibilis munificentia, & maxima benignitas appareret. Idq; eo confidentiùs, cùm videbam ante me viros in republicâ literariâ principes, in scriptis suis passim sympofiaca sparsisse, adeóq; peculiares etiam de conviviis libellos conscripsisse: in quibus familiam ducere videntur Plato, Xenophon, Aristoteles, Plutarchus, Athenæus, Clemens Alexandrinus, Marsilius Ficinus, Cælius Rhodiginus, Alexander ab Alexandro, Pontanus, Janus Cornarius, Lipsius, Petrus Faber, & quem præ cæteris studiose sequar, Johannes Guilielmus Stuckius, in tribus suis antiquitatum convivalium libris, quos omnigenâ eruditione refertos esse, graviter censet Alstedius, 3. lib. Ethic: cap. 25. reg. 12. Quanquam qui disputatorio more per theses de conviviis tractasset, neminem hactenus ante me fecisse, quod sciam, vidi. Horum itaq; auctorũ labore laudabili, ac utilitate rei longè maximâ adductus, animũ sumam, sumã calamum; quæq; alicujus commatis ac commodi de symposiis in auctoribus modò laudatis occurrent, ea quà potero brevitate, in theses subsequentes conjiciam, hocq; ceu raro quodam obsonio literatos, & historiæ studiosos, inprimis concives meos Academicos accipiam. Ergo, ô DEUS DEUS, sis & hîc laborum nostrorum principium, medium, & terminus! quod etiam vovet Justinianus Imperator, in N. 109. in princ: Nunc ad rem.

1. Ut autem certis quibusdam cancellis noster includatur labor, distinctè considerabimus Conviviorum tùm Definitionem, tùm locupletem definitionis explanationem.

2. Definitio *Conviviorum, est tùm* Nominis, *tùm* Rei.

3. Definitio nominis, *varia conviviorum nomina, illarúmq; vocum notationes continet, in linguis principibus, videlicet apud Hebræos, Græcos, Latinos, & Germanos.*

4. *Apud Hebræos maximè commune est nomen* MISCHTE, *quod derivant à radice* SATA, *quod potare significat; Quanquam non modò in sacris Bibliis, sed etiam apud Rabinos* LECHEM *panis pro convivio, &* JAIN *Vinum pro totâ compotatione accipitur.*

5. *Græcis, quorum lingua & Hebræâ, & Latinâ locuplètior est licet multa habeant nomina quibus convivium appellant, quorum alia generalia sunt, alia specialia, quæ tamen per Synecdochen pro quovis convivio usurpantur, qualia sunt* δαὶς, εὐωχία, δοχὴ, συσσίτια, πότον *&* πότος, θοίνη, ἀγάπαι, θαλία, συναγώγιον, κλητήριον *&c. inprimis tamen arridet vocula* συμπόσιον, *quod nonnulli compotium sive compotamentum reddunt,* Cicero *compotationem vertit,* in Catone Majore.

6. *Apud Latinos Convivij nomen lippis, ut dicitur, & tonsoribus notum est, cujus etymologiam, eleganter declarat* Cicero, in lib: de Senect. *his verbis:* Bene enim majores nostri accubationem epularem amicorum, quia vitæ conjunctionem haberet, convivium nominarunt; melius quàm Græci, qui hoc idem tùm compotationem (συμπόσιον) tùm concœnationem (σύνδειπνον) vocant. *Vide quoq;* Isidorum lib. 20. Etymol: *Præter hoc vocabulum sequentia quoq; ut mensa, cœna, sodalitas, conventus, congressus &c. non minùs trita atq; usitata sunt.*

7. *Germani nostri convivium in genere vocant,* Ein Mahl/ Gastmahl/ Banquet/ Gasterey/ Schmauß. *In specie verò respectu temporis, aliud* ein Mòrgensuppen/ Früestück/ Morgenbrodt/ Morgenessen: *Aliud* ein Jmbis/ oder Mittagmahl: *Aliud* ein Vesperbrodt/ oder Abendzehren: *Aliud* ein Nachtmahl/ Abendmahl/ Abendtrunck/ Abendessen/ Nachtessen/ Abendzech/ oder Abendürthen *indigitant.*

8. Definitio rei; *Variæ illæ sunt apud varios.* Plutarch. lib. 1. Symposiacôn quæst. 4. *ita definit:* Convivium est oblectatio, seu vivendi ratio inter pocula, ob gratiam in amicitiam desinens. Cicero *Convivium esse* epularem amicorum accubationem, *dicit* in dialog. de Senect. *Occurrit & alia definitio apud* Plutarch. Symp. l. 7. quæst. 6. Conviviũ est seriorũ atq; jocorum; sermonũ actionũmq; cõmunio.

9. *Accuratior mihi tamen videtur definitio* StuckI, lib. 1. ant. conv. c. 2. *quæ talis est:* Convivium est honesta, suavis, & jucunda amico-

rum

rum hominum ejuſdem cibi atque potus, (adde ſermonis) communio: mutui amoris amicitiæque, cum Deo pariter atque hominibus, partim contrahendæ partim tuendæ atque confirmandæ causâ instituta. *Et hucusq;* Definitio: *ſequitur jam*

10. Locupletior definitionis explanatio, *quæ pleniori ſtylo omnia illa perſequitur, quæ de ſympoſiis in medium afferri commodè poſſunt: idq; tùm* in genere, *tùm* in ſpecie.

11. In genere, *trutinanda veniunt conviviorum tùm* Origo, *tùm* Finis.

12. Origo *conviviorũ: Hanc non adſcititia illa & neſcio quæ ethnicorũ numina, quæ à Moabitis, Trojanis, Spartanis, & Cypri incolis ceu conviviorũ præſides divinis honorib⁹ culta fuiſſe, paſſim aſſerit* Athenæus, *referimus: ſed ab ipſo generis humani primordio repetentes, Deo aſſcribimus.* Deus enim in ipſo paradiſo, in beatiſſimo illo florentiſſimóq; mundi rerúmque omnium ſtatu, primos illos noſtros parentes firmo ſtabilique matrimonio copulatos, non μονοφάγυς, inſtar cyclopum, ſed ὁμοφάγυς, & ὁμοτρόφυς, id eſt victus communione conjunctos eſſe voluit, *ut ſunt verba* StuckI, lib. 1. ant. conv. c. 3.

13. Finis *conviviorum, hic auguſtus ſanè ac divinus eſt, nempe ſocietas; ut ea cum Deo & hominibus ineatur, foveatur, corroboretur, & redintegretur.*

14. *Veriſſimè enim ac ſapienter, cùm alia multa, tùm illud inprimis tradiderunt Stoici; communitate nihil humanæ naturæ aptius eſſe, atque accommodatius; & ad ſocietatem homines natos eſſe, quam quidem fecerunt duplicem; unam hominum cum Deo, alteram quæ ſit inter ipſos homines. Ad utramq; autem & conficiendam & confirmandam, convivia plurimum ſanè momenti ac ponderis habent; ut ex variis ſympoſiorum generibus manifeſtè quidem patet: inprimis verò luculenter ſatis confirmat ſacroſanctum illud convivium dominicum, ab unico noſtro Sotere Jeſu Chriſto ad duplicem illam, cum ipſo pariter & nobiſcum invicem, charitatem obſignandam & ſtabiliendam inſtitutum.*

15. *Atq; hinc promanârunt egregia illa dicteria, quæ apud auctores omni exceptione majores paſſim de vero conviviorum uſu occurrunt:* Marſilius Ficinus, convivii legitimi finem dicit eſſe, ſicut ipſum quoque nomen indicat, non commeſſationem, non compotationem, ut eſt apud Græcos; ſed dulcem vitæ communionem; ita ut quemadmo-

dum in eo communi vescimur corporis alimento, ita eodem mentis utrâque bono, & communi voluptate fruamur. *Sic* Jo. Jovian. Pontanus *quoq,* in lib. *quem inscripsit* de convivenciâ, *ita ait*: Tametsi hominem homini natura conciliat, ad hanc tamen naturæ conciliationem duæ inprimis res mihi videntur plurimum conferre; eorundem sc: studiorum societas, consuetudóque convivendi.

16. *Hinc diuturnas & capitales hominum inimicitias olim conviviis sublatas esse, & etiamnum hodie homines plusquam Vatiniano odio inter se dissidentes sibi invicem occasione symposiorum reconciliari, una cum historicis fide dignissimis experientia docet.* Livius, l. 8. 2. belli Punici, *commemorat: Scipionem & Hasdrubalem duorum populorum sibi invicem infestissimorum legatos, à Syphace rege ad cœnam invitatos, eodem lecto collocatos, atq, ita invicem reconciliatos esse. Huc pertinet quod* Justinus l. 2. *de Arthemeno & Xerxe fratribus*; & Plutarch. in vita Cic. *de M. Crasso, memoriæ prodidit, qui jucundis conviviis amicitiam, deposito odio, redintegrârunt.*

17. *Memorabile quoq, simul ac imitabile exemplum est, quod de Rudolpho Habspurgensi* Cuspinianus *notavit; is enim cum Abbate S. Galli gravissimum bellum gerens, inermis paucisq, comitatus, sponte in monasterium, dum Abbas adhuc cœnaret, venit, & mensæ assedit, atque ita inter cœnandum secum invicem in gratiam redierunt, adeo ut mutua quoque auxilia adversus alios suos hostes sibi invicem polliciti fuerint.*

18. *Atque hic verus & legitimus est symposiorum finis: Fit tamen non rarò convivarum vitio, ut modo dictum finem convivia non attingant, sed potiùs seminaria controversiarum & cædium existant. Hic abusus licet multiplex sit, ad hæc duo tamen extrema commodè referri posse censemus. Peccant enim homines, vel* in defectu, *vel* in excessu.

19. In defectu *est μονοφαγία, cum quis ab omnibus prorsus, honestis etiam, moderatis, & tempestivis conviviis abstinet: cujus quatuor species recenset* Stuck. lib. 1. ant. conv. c. 3. *& ejus epitomator* Alstedius in antiq. conviv. succinctè expositus §. 6. *1. est eorum qui nec alios invitant, nec invitati ab aliis comparent; 2. est eorum qui invitati ad aliorum convivia accedunt, ipsi verò neminem invitant: 3. qui quidem alios invitant, aliorum verò epulas aspernantur; 4. eorum qui invitatos sordidè tractant, semifamelicos & sitientes dimittunt.*

20. In excessu *est commessabilitas, ut* Pontanus *vocat, quæ immoderata, & inordinata conviviorum cupiditas est, non ex honestate charitatéque*

vitatéque erga Deum & homines promanans, sed aliis ex causis, quarum septem Stuck. *& ex illo* Alsted: d. l. recensent: *1. est vana ostentatio; exemplo Antonij & Cleopatræ, de quib:* Macrob. l. 3. Saturn. c. 17. Plin. l. 9. c. 35. *2. est gula, ut ventrem, qui nonnullorum Deus est, distendant & saginent. 3. Avaritia, quam splendidis conviviis palliare satagunt. 4. Spes retributionis. 5. est spes scelerum impunitatis consequendæ. 6. est ambitio, dum plurimi conviviis hominum gratiam aucupari, gradúsq; sibi ad honores struere student; de qua vid.* Cic. lib: 2. in offic. & orat. pro L. Muræna. *7. est cædes, dum symposiis homines ad aliorum exitium abutuntur, qualia convivia Thyestea, Agamemnonia, & Cyclopica vulgari sermone appellantur.*

21. *Sic Amnion filius Davidis à fratre Absolomo convivio exceptus occiditur;* 1. Reg. 13. *Sic Godolias præfectus Judææ cum multis Judæis aliisq; in convivio immanissimè obtruncatur in Mizbach,* 2. Reg. 25. Jerem. 41. *Sic Simon sacerdos cum duobus filiis à Ptolomæo ad convivium vocatus occiditur,* 1. Maccab. 13. *Sic Demetrius Poliorcetes Alexandrum ad cœnam vocatum, & e cœnaculo egredientem confodi jussit. Sic Lezcovius* Cos. *Dantiscanus oppressus fuit, ut refert* Keckerman: *Qualia insuper convivia superioribus seculis in Galliâ & Belgio celebrata fuerint, omnes proh dolor novimus. Vid.* Stuck. in præf. ant. conv: *ubi memorabilem, de hodierni seculi in conviviis luxu & crapulâ, querelam habet.*

22. *Hinc ut aliàs ex malis moribus bonæ leges natæ sunt, sic hic quoq; effrænata planè & exitialis commessandi libido, ansam præbuit benè constitutis rebuspubl: severis quibusdam legibus, ceu vinculis ac frenis, immanem illum luxum reprimere & coërcere.*

23. *Inprimis tamen Romani, hâc in parte aliis palmam præripuêre, utpote apud quos leges sumtuariæ fuerunt & numero plurimæ, & à sapientissimis hominibus latæ. Lex nimirum Orchia, à C. Orchio Tribuno plebis; Lex Fannia, à C. Fannio, & M. Messalla* Coss. A. UC. 592; *Lex Didia,* A. UC. 610; *Lex Licinia, à P. Licinio Crasso* Cos *promulgata, cujus meminit.* Cic. l. 7. ep. 27: *Lex Cornelia, quam Cornelius Sylla Dictator; Lex Lepidi, quam Lepidus; Lex Antia, quam Antius Restio paucis annis interjectis constituerunt: quæ omnes vel convivarum numero, vel alimentorum pretiis, vel supellectilis convivialis magnificentia, vel deniq; ferculorum multitudini, certum modum præscripserunt. Vide* Macrob. l. 3. Sat. c. 7. Agell. l. 2. Noct. Atticar. c. 24. Alex: l. 3. gen. dier. c. 11.

24. *Sed hæ leges cum maximo orbis Christiani damno, jam altum*

dormitant:

dormitant: Nam cur Romanum imperium paulatim minuitur, Saracenicum autem vires acquirit? quia sc: Germani &c. pecuniam impendunt luxui, luxu frangunt robur corporis, itáque vincuntur, quia exhausti pecuniâ & viribus: *ut verè inquit* Alsted. d. l. §. 7. *Consule* Stuck. l. 1. ant. conv. cap. 3. *extremo. Et hucusq;* generalia.

25. In specie, *observanda veniunt conviviorum tùm* Divisiones, *tùm* partes.

26. Divisiones; *Harum, licet variæ multiplicésque sint, duas saltem, easque primarias afferemus: Illæ desumuntur, tùm* ab adjuncto solennitatis, *tùm* à quinque principalibus vitæ humanæ actibus.

27. Ab adjuncto solennitatis, *Convivia sunt vel* sacra, *vel* profana.

28. Sacra *convivia illa sunt, quæ vel in veri & unius Dei, vel in falsorum & alienorum Deorum honorem, cùm religionis tùm superstitionis ergò, diebus potissimùm festis, & quidem in locis sacris & religiosis celebrantur, ut illa definit* Stuck. l. 1. ant. conv. c. 33.

29. *Hæc rursus in duas dispescemus classes: Alia enim sunt* verè sacra & religiosa; *alia* quasi & superstitiosa.

30. Verè sacra *& religiosa ab ipso Deo & præscripta & mandata sunt vel* Veteris, *vel* Novi testamenti.

31. *Convivia sacra* Veteris testamenti, *sunt tùm* principale, *tùm* minùs principalia.

32. Principale, *est epulum agni Paschalis, quod quotannis certis ceremoniis fuit celebratum, ut partim acceptum beneficium liberationis ex Ægypto Judæorum animis inprimeretur, partim verò ad beneficij multò amplioris expectationem, per Messiam conferendam, eorum animi incenderentur. Luculentam hujus convivij descriptionem vide* Exod. 12. c.

33. *Hæc licet ad Theologos pertineant, intermittere tamen non possum, quin hoc dubium solvam: quomodo nimirum Christus cum discipulis in celebratione Paschatos dicatur sedisse, vel secundum illius temporis morem accubuisse; cùm tamen moris fuerit in epulo Paschali stare? Respondeo ex* Tremellio, *quod ille ritus* Exod. 12. §. 3. *mandatus à Deo, ut starent, citò commederent, lumbis accinctis, pedibus calceatis, ac baculum tenentes manibus: quod inquam illa ceremonia, non se extendat ad generationes futuras,*

nes futuras, sed tantùm fuerit noctis illius, quâ in sententiâ omnes Rabini sunt. Quanquam Theophylactus *asserat, suffragante* Camerario, *Christum primo stantem comedisse Pascha, deinde sedentem proprium instituisse mysterium.*

34. Minus principalia *sunt illa convivia, quæ Judæi in festivitate Pentecostes, cujus descriptionem vide* Num. 28. Deut. 16: *In festo tabernaculorum, cujus mentio fit* Lev. 23. Johan. 7: *& in diebus sortium, qui fuerunt 14. & 15. mensis Adar, vid. histor.* Estheræ c. 9: *opiparè satis ac lautè instituerunt. In calendis quoq; mensium convivia inter se agitâsse, ex sacris literis,* 1. Sam. 20. §. 5, 15. *patet.*

35. *Immò omnia in genere veteris testamenti sacrificia, nihil aliud fuerunt, quàm epulæ quædam sacræ Deo hominibùsq; communes, ad mutuam Dei hominumq; societatem confirmandam perquam aptæ atque accommodatæ. De sacrificiis illis, quæ fuerunt tùm ἱλαστικὰ, tùm εὐχαριστικὰ,* Vid. Stuck. l. 1. ant. con. c. 33. *& inprimis* Peucerum de Divinat. p. 70. *& seqq.*

36. *Convivia sacra* Novi testamenti. *Hîc sicut in veteri convivium agni Paschalis excellit, principem facilè locum obtinet, augustissimum & magnificentissimum illud epulum, ab ipso Domino nostro Jesu Christo, institutum & celebratum; cujus descriptionem claram & illustrem habes,* Matth. 26. Marci 14. Luc. 21. & 1. ad Cor. 11. *quò meum lectorem ablego.*

37. *Egregia sanè de hoc epulo* D. Cypriani *verba sunt*, in sermon: de Cœn. Domini, post princip: *quæ ita se habent:* Cœnâ itáque dispositâ inter sacramentales epulas, obviârunt sibi instituta antiqua & nova, & consumto agno, quem antiqua traditio proponebat, inconsumtibilem cibum magister apponit discipulis: Nec jam ad elaborata inpensis & arte convivia populi invitantur, sed immortalitatis alimonia datur, à communibus cibis differens, corporalis substantiæ retinens speciem, sed virtutis divinæ invisibili efficientiâ probans adesse præsentiam. *Hæc ille.*

38. *O igitur salutares epulas in quibus Christus sumitur, & memoria passionis ejus recolitur! Malè sit illis qui hoc pacis concordiæq; symbolo, ad odia potiùs, discordias, factiones, rixas, atque inimicitias mutuas, impiè nefariéque abutuntur.*

39. *Porrò sicut in veteri testamento sacrificiis adjuncta fuerunt convivia, ita quoque in primitivâ Ecclesiâ Christiani cum cœnâ dominicâ conjunxerunt*

junxerunt epulas, quæ ab illis dictæ sunt ἀγάπαι, eò quod charitatis Christianæ erant symbola atque tesseræ. Ad illas ditiores conferebant panes, vinum, pecunias, & alia necessaria. & in illis divites cum pauperibus promiscuè discumbebant, absentibus etiam mittebantur partes.

40. *De his ita scribit* Zonaras in can. 74. concil. Laodic: Antiquus mos erat, post communionem divinorum mysteriorum συσσίτια, & συμπόσια, hoc est coepulationes, & compotationes fieri, divitibus epulas suppeditantibus, & præterea pauperiores invitantibus. *Illarum quoque meminit* Irenæus. l. 4. Origen. l. 3. comm. in Job; Justinus Apol. 2. & August. l. 20. contra Faust. Manich. c. 20.

41. *Etsi igitur hæ agapæ initio bono consilio fuerunt institutæ, tandem tamen in abusum, luxuriam, & petulantiam conversæ fuerunt, adeò ut in Concilij Laodiceni* cap. 28. *cautum fuerit, ne illæ in templis fierent, his verbis:* Non oportet in Basilicis, seu Ecclesiis agapem facere, & in domo Dei manducare, vel accubitu sternere. *Quod deinceps Carthaginensi in concilio repetitum fuit. Vid.* Stuck. l. 1. ant. conv. c. 33.

42. Quasi sacra & superstitiosa, *sunt illa convivia, quæ ethnici in sacrificiis suis vanissima superstitione, & effrenatâ luxuriâ, diebus festis, in suorum dæmonum honorem instituerunt. de quibus ita* Macrob. l. 1. Sat. c. 16. Sacra celebritas est, vel cùm sacrificia diis offeruntur; vel cùm dies divinis epulationibus celebratur; vel cùm ludi in honorem aguntur Deorum, &c.

43. *Quod ipsum ex præposterâ & perversâ Judæorum κακοζηλίᾳ profectum esse, in propatulo est. Sicuti enim apud Judæos, ut antea monuimus, festi dies partim sacrificando, partim epulando, fuerunt celebrati: Sic ethnici quoque ferias suas, tùm sacrificiis, tùm commessationibus & compotationibus immanissimis transegerunt. De his luculenter scripsit sæpiùs laudatus* Stuck. in descriptione sacrorum sacrificiorúmque gentilium: & Peucerus, in comment. de divinat. p. 74. & seqq.

44. *Præ cæteris tamen omnibus Diis ethnici, Bacchum, Cererem, Venerem, atque Saturnum, omni lascivia & voluptatum genere sibi colendos esse duxerunt; & proinde in illorum feriis ebrietati, gulæ, & libidinibus, sub specie religionis, indulserunt. Hinc Bacchanalia, Cerealia, Aphrodisia, & Saturnalia in historicorum monumentis tàm nota sunt, quam quæ notissima. De his passim scripsit* Macrob. in l. Saturn. & Stuck. l. 1. ant. conv. c. 33. *Ex his ethnicorum abominationibus, quod dolendùm est, Bacchi festum Christiani moderni retinent, quod à doliorum evacuatione*

Faßnacht.

Faßnacht *vocant*. Et tantum de ſacris & religioſis conviviis.

45. Profana *ſive* Politica *convivia ſunt, quæ non religionis ergo, ſed aliis de cauſis iiſque politicis, in vitâ communi inſtituuntur. Sed nec hæc unius ſunt generis: Alia enim ſunt* publica, *alia* privata.

46. Publica *Convivia illa ſunt, quæ vel ab univerſo populo, vel certâ illius parte in locis publicis, cum collatis ſymbolis, tùm ex ærario publico vel ex unius liberalitate & magnificentiâ pecuniâ ſubminiſtratâ, agitari conſueverunt. Illa ſunt tùm* Syſſitia, *tùm* erogationes publicę.

47. Syſſitia, *ſunt convivia publica & quotidiana, quæ à legislatoribus ſapientiſsimis inſtituta fuerunt, ut eo facilius cives ſuos in officio, in frugalitatis ſtudio, & inprimis in mutuo amore ac benevolentiâ continerent, De his* Plato l. 5. de leg. *ait:* Singulis in locis oportet eſſe Syſſitia, in quibus ſimul eſt omnibus convivandum. *Et* Ariſtot. l. 7. pol. c. 10. Syſſitia communi omnium conſenſu benè conſtitutis civitatibus videntur eſſe conducibilia.

48. *Apud Cretenſes talia convivia à Minoë illorum legislatore inſtituta fuerunt, quæ quidem ἄνδρεια appellârunt: à quibus illa conſuetudo ad Spartanos promanavit, apud quos Syſſitia Phyditiorum nomine veniunt, cujus vocabuli etymologiam triplicem, vid. apud* Plutarch. in vit. Lycurg. *meminit quoq;* Strabo. l. 10. *Initium autem ſuum acceperunt à Lycurgo,* hic namque voluit, *ut* Plutarch: *ait in illius vitâ:* omnes in publico communibus & præſcriptis obſoniis, atque cibis veſci; non autem domi cibum capere, & in lectis atque ad menſas ſumtuoſas accumbentes, voracium inſtar pecudum ſemet ipſos ſaginare, atque ita cum corporibus animos moréſque ſimul emollire, atque corrumpere.

49. *His ſimilia ſunt Athenienſium Prytanenſia, ſingulis diebus in domo quâdam rotundâ, quæ θόλος fuit dicta, celebrata: Ibi non modò Prytanenſes ſenatores numero quinquaginta, penès quos ſumma reipub. erat poteſtas; verùm etiam alij quiq; quotidie epulari ſoliti fuerunt. Horum meminit* Cic. l. 1. de Orat.

50. *His Græcorum Syſſitiis non ineptè Romanorum collegiorum epula comparari poſſe videtur, quas à Romulo primùm inſtitutas fuiſſe,* Dionyſ. Halicar: *teſtatur* l. 2. Antiquit: Hoc inſtitutum, *inquit,* mihi videtur deſumſiſſe à Lacedæmoniis, Philitia ſua (Plutarch. *vocavit Phyditia*) ex more frequentantibus, quem Lycurgus à Cretenſibus mutuatus videtur, magno ſuæ civitatis commodo. Nam hoc pacto cives

pacis tempore, ad frugalem vitam & moderatum victum instituit; in militiâ verò pudorem eis ingessit, ne quis manipularem suum desereret, eorundem libaminum, atque sacrorum socium. *Quæ collegiorum Syssitia magnum deinde incrementum à Numâ acceperunt, ut refert* Plutarch. in Numâ.

51. *A Romanis verò ad nostros Germanos hæc Syssitia devoluta sunt. Nàm in Germaniâ superiore, in democraticis præsertim rebuspubl: commessationes publicæ & quotidianæ in cænaculis,* Trinckstuben/ *vel* Gesellenhäuser *dictis, frequenti admodum in usu sunt. Huc referenda quoque sunt collegiorum scholasticorum συσσίτια, in Academiis usitata, quæ Bursæ sive Communitates appellantur; de quibus noti sunt versiculi:*

Regula Bursalis est omni tempore talis:
Prandia fer tecum, si vis commedere mecum.

52. *Inprimis tamen illustria & cedro digna sunt Argentoratensis Reipub: Syssitia, quæ in publicis illis ædibus, vulgò* zur Luzernen/ oder auff der Ammeister stuben *dictis, apparantur; ad quæ quibusvis tùm civibus, tùm peregrinis patet aditus, preces, præeunte certo homine, solenniter peraguntur, singulis convivis certum datur vini dimensum, certum quoq; ac definitum est symbolum. Illis semper Consul & Prætor, & quidem vel ambo simul, vel certè alteruter illorum interesse cogitur, ut nimirum illorum præsentiâ convivæ in officio; & modestiâ contineantur. Peracto prandio sive cænâ, recitatis precibus, collectisque symbolis, surgitur atque disceditur. Vid.* Stuck. l. 1. ant. conv. c. 35.

53. Erogationes publicæ; *hæ alio nomine Frumentationes, ut & Sportulæ vocantur, quæ propriè sumuntur pro ciborum receptaculis, sic dictis à sparto herbâ ex quâ conficiebantur; ut apud* Plautū in Mænech:

Sportulam cape atque argentum, ecce tres nummos habes: *Metonymicè autem sæpe pro cibis qui publicè eroganturs, tùm etiam pro pecuniis, quæ cibariorū loco quandoq; dari solebant, usurpātur: Sic* Juven. Satyr. 3.

Nonne vides quanto celebretur sportula fumo?

54. *Est autem Frumentatio nihil aliud quàm gratuita in plebem annona, Græcis σιτηρέσιον dicta; cujus originem* Plinius l. 18. *ad Manium Martium ædilem refert. Cúmque primò omnis largitio voluntaria, & in arbitrio Senatus esset, exorti sunt tribuni plebis, legésque tulerunt, quibus non incerta ut antea, sed perpetua statáque frumentatio esset. Plura de legibus frumentariis, de frumentantium numero, de præfectis annonæ, de distribuendi modo, & tempore, vide* in accuratis collectaneis Lipsii, l. 1. elect.

elect. c. 8. *per tot. nec enim velut actuarius aliquis omnia huc transcribam.*

55. *Et primò quidem ipsum frumentum civibus fuit datum, postea vero panis; credo quia id commodius visum in egenam plebem, quæ hâc ratione operæ & impensas pistorias faciebat lucri. Oleum quoque, cujus creber usus Romæ in balneis fuit, & caro distributa fuit; cujus dividundæ principium ad Aurelianum refert,* Flavius Vopiscus *in illius vitâ.*

56. *Illis quoq; diebus quibus Romæ solennes ludi exhibiti, epulum dari populo solitum fuit, quod cœpit A. U. C. 693. Pisone & Messala COSS: Vid.* Pet. Fabrum l. 1. semest. c. 6. p. 31. *Horum epulorum exempla satis conspicua habet* Sueton. in Calig. c. 18. in Domit: c. 4. & in Claud. c. 34.

57. *Ad has frumentationes quàm proximè accedunt, hodiè usitatæ in multis civitatibus ciborum largitiones, in pauperes fieri solitæ: Inprimis hîc excellit olla Tigurinorum pulmentaria, der Mußhafen/ ad quam ingens quotidie pauperum & inopum, tùm laicorum tùm scholasticorum turba confluit; & singulis pulmenti atq; panis certa portio, nonnullis etiam aliquid pecuniæ dari solet. Vid.* Stuck. l. 1. ant. conv. c. 35.

58. *Non minùs etiam apud exteros celebratur munifica Schaffusianorum in pauperes cibi atq; pecuniæ erogatio, singulis septimanis distribui solita, quam vulgo* die Spendt *vocant: Quæ vocula in eâdem penè significatione, in patriâ meâ* Budissinâ, *in usu est; illas enim carnis ac panis largitiones, quas hæredes in honorem demortui, quatuor septimanis post deductum funus, pauperibus, quibus pro concione publicè significatur, distribuunt,* die Spendt *indigitant.*

59. *Notabile quoq; illud est, quod* Sigismund: B. ab Herberstein/ in comment: rer: Moscovit. testatur; *in Moscoviâ præcipuum esse monasterium S. Trinitatis, admirabili populorum concursu celebratum, cum S. Sergius ibi sepultus multa miracula edere dicatur; eò Princeps ipse non raro, populus verò quotannis diebus certis confluit, monasteriiq; liberalitate alitur. Fertur ibi, ut refert* Stuck. l. 1. ant. conv. c. 35. *ollam esse cupream, in quâ certi cibi, & plerumq; olus, coquitur; fit autem ut sive pauci sive multi eò venerint, semper tamen cibi tantum remaneat, ut ejus monasterii familia saturetur.*

60. Privata *Convivia sunt, quæ inter amicos, familiares, & consanguineos, eosq; paucos versantur; & cum quâdam familiaritate, victûsq; suavitate fiunt.*

61. *Hac ratione personarum in duos distinctos referemus ordines;*

aut enim sunt Popularium *ejusdem civitatis, aut* peregrinorum.

62. Popularium *ejusdem civitatis sunt convivia, quæ amici, familiares, & vicini eâdem urbe habitantes, amicitiæ tuendæ & conservandæ gratiâ, interdum per vices agitare consueverunt, quæ Germanis* Freundmahle *dicuntur: quorum illustre exemplum, tùm in historiâ* Jobi c. 1. *tùm in Romanorum scriptoribus occurrit. Nam 11. Calend. Mai. Romani convivium à fine Charistia dictum instituerunt, cui præter cognatos & affines nemo interponebatur, ut si qua inter personas necessarias querela esset oborta, inter amicorum hilaritatem tolleretur. Consule* Valer: Maxim: l. 2. c. 1. & Ovid: in Fastis.

63. *Huc referendum puto illud convivium, quod clientes olim in æde sacrâ patronis apparare solebant, & cænam popularem nominabant, ut ex his* Plauti *verbis* in Trinummo, act. 2. sc. 4.

—— Quid nunc si in ædem ad cænam veneris,
Atque ibi opulentus tibi par forte ut venerit,
Apposita sit cæna popularem quam vocant &c.

colligit Pet. Fab: l. 1. Semest: c. 6. p. 33. *cui suffragatur* Taubman: in comment. Plaut. p. 1127.

64. Peregrinorum, *illa sunt convivia quæ cum hospitibus, peregrinis, & advenis ineuntur. Est autem omninò duplex peregrinos excipiendi ratio: Una* Gratuita; *altera* mercenaria.

65. Gratuita *est, quâ certi quidam homines, ex certo quodam pacto atq; conventu, vel recens inito, vel paterno & avito, sese mutuo in peregrinationibus benevolentiæ ergò gratis hospitio excipiunt, ita ut non alienæ, sed suæ domi esse videantur.*

66. *Atq; hoc laudatissimum sanè est convivij genus: sic enim* Cic. l. 2. offic. Rectè etiam à Theophrasto est laudata hospitalitas; est enim, ut mihi videtur, valdè decorum, patêre domos hominum illustrium, illustribus hospitibus; idque etiam Reipub: est ornamento, homines externos hoc liberalitatis genere in urbe nostrâ non egere. Ambros: l. 2. offic. c. 21. Est publica species humanitatis, ut peregrinus hospitio non egeat, suscipiatur officiosè, pateat advenienti janua.

67. *Ab hac hospitalitate in sacris commendantur Abraham,* Gen: 18. *Loth,* Genes: 19. *Gedeon,* Jud: 6. *Rebecca & Laban,* Genes: 24. *Rachab,* Jos: 2. *Salomon,* 1. Reg: 4. *Martha,* Luc: 10. *& alij, quorum vestigia non tantùm populus Dei, (quod etiam à modernis Judæis observatur) sed ethnici quoq;, non sine summa laude, secuti sunt.*

68. At

68. *Ac inprimis quidem Græci hospitalitatis officia non solùm egregiè docuerunt; verùm reipsâ quoq; & privatim & publicè præstiterant, ut ex Megarensium & Corinthiorum, quibus Jupiter ξένιος in præcipuo cultu erat,* (Alex. ab Alex. l. 4. c. 10.) *& Lacedamoniorum erga hospites benignitate, satis superq; apparet. Inde non immeritò* Homerus, à Stuck. l. 1. ant. conv. c. 27. *titulo optimi hospitalitatis magistri insignitur, qui d. l. omnia justa legitimaque hospitalitatis officia, ex præclaris Homeri monumentis recenset. Quem vide.*

69. *Magna quoq; apud Romanos erga hospites observantia fuit, atq; religio, ut egregie docet* Agelli. l. 5. c. 13. *Eandem ob rem optimè etiam audiunt veteres nostri Germani, de quibus* J. Cæsar *scribit* l. 6. Germani hospitem violare fas non putant: qui quaque de causâ ad eos venerunt, ab injuriâ prohibent, sanctósque habent, iísque omnium domus patent, victúsque communicatur. *Idem* Tacit. de Germ. mor. *testatur*: Convictibus & hospitiis, *inquit*, non alia gens effusiùs indulget; quemcunq; mortalium arcere nefas habetur; pro fortunâ quisq; apparatis epulis excipit, &c.

70. *Hujus antiquæ hospitalitatis, in Germaniâ nostrâ non pauca, nec levia adhuc extant vestigia: Multis enim in locis, nobiles, ecclesiastici ordinis homines, mercatores, & opifices, cùm in peregrinam civitatem venerint, non in publica diversoria divertunt: sed apud se invicem diversantur, atq; ita mutuum hospitij jus officiosè exercent: quâ tamen laudabili consuetudine valdè abutuntur nonnulli ex fece nobilitatis,* die Krippenreutter *dicti, qui nihil aliud agunt, quàm ut ab uno consanguineo ad alterum se conferant, gulæ crapulæq; strenue indulgentes.*

71. *Huc pertinet nunquam satis laudata, nonnullarum rerumpub. in Germaniâ, consuetudo, quâ peregrinis advenientibus, inprimis viris claris, & eruditis, vinum honorarium* Schenckwein *exhibetur. Vid.* Stuck. l. 1. ant. conv. c. 27. *Quâ in parte, fretus judicio Magni* Peuceri, *patriæ meæ* Budissinæ, *cæterarum urbium pace dixerim, libenter palmam darem; nisi forsan naturalis amor, qui plerumq; cæcus est, me fallit ac decipit.*

72. *Cum his conviviis hospitalibus magnam videntur affinitatem habere illæ epulæ, quæ in quibusvis pactis ac fœderibus interponi solent: quod ipsum Judæorum, Græcorum, Romanorum, Persarum, Germanorum, Indorum, Scytharum, aliorúmque populorum exemplis illustrarem, nisi tædium lectorum, quod declinandum puto, me deterreret.*

73. Hoc

73. *Hoc solùm dicam, apud antiquos duo maximè insignia, fœderis & amicitiæ symbola fuisse; panem nimirum atque salem, quorum quidem esu usuq; fœdera olim contrahi solebant. De sale vid.* Plutarch. l. 5. symp. q. 10. *Hæc duo adhuc hodiè apud Moscovitas benevolentiæ signa sunt. Nam Dux Moschorum, ut testatur* Sigismun: B. ab Herberstein, *eo maximè suum erga aliquem favorem declarat, si illi in convivio de suâ mensâ panem atque sal mittat: idq; maximi honoris loco habetur, quo honore se quoq; affectum fuisse scribit à* Basilio *Rege, cùm primò* Maximiliani Imperat: *ac iterum ejus nepotis Romanorum Regis* Ferdinandi *fuisset legatus: Ac in priori quidem suâ legatione, scribit, se juxta illorum consuetudinem, hujusmodi dicendi formâ à Rege ad prandium fuisse invitatum: Sigismunde, comedes sal & panem nostrum nobiscum.* En hîc salis potissimum atque panis meminit, quorum unum alimenti, alterum condimenti instar obtinet, *ut ait* Stuck. l. 1. ant. conv. cap. 30. *& ex illo* Alsted: d. l. §. 72.

74. Mercenaria *peregrinos excipiendi ratio est, quâ certi quidam homines, in pagis vel in urbibus, commodi atq; lucri sui causâ, viatores peregrinósq; quosvis pro mercede accipiunt, illisq; vel tecti solius usum, vel etiam alimenta præbent. Triplicis enim omninò diversoria sunt generis. Nam in aliis domicilii solùm usus, in aliis esculenta tantùm, & poculenta, in pleruq; amplioribus præsertim utrumq; advenis exhibetur.*

75. *Hanc autem cauponam exercendi artem, antiquitus cùm apud Græcos, tùm apud Romanos illiberalem atque ignominiosam fuisse, ex historicis habemus.* Plato certè l. 11. de leg. *interdicit civibus suis cauponationem: hodiè verò in orbe Christiano hujusmodi hospitiorum maximus & frequentissimus est usus; in quibus non solùm viatores ad certum tempus diversantur, sed cives etiam atque indigenæ noctes diésque compotationibus indulgere, maximo reipub. damno, consueverunt.*

76. *Alibi tamen hospites lautius, alibi sordidiùs tractantur. Apud Hispanos, Gallos, & Italos præter tectum viatoribus nihil præbetur, edulia autem ipsi peregrini in foro emere coguntur. Sic* Leo African. l. 3. c. 24. *refert, quod in urbe Africæ Fessâ, ducenta ferè sint hospitia, in quibus, licet ampla sint; sordidissimè tamen hospites excipiantur. Nam præter id quod nullus lectus ibi reperiatur; si tibi cibum parare velis, necesse est ut macellū adeas, atque hospiti ides coquendum, quod inde tibi comparaveris. Consule* Stuck. l. 1. ant. conv. c. 28. *&* Alsted. d. l. §. 59. *Quantò felicior hâc in parte nostra est Argentina, quæ diversoria habet, & numero plurima, & omni deliciarum genere refertissima!*

77. His

77. *His affinia sunt convivia, quæ in civium honorem, ante & post peregrinationem, boni ominis gratiâ agitantur. Nam ut hodiè, ita olim quoque, magnifica acta fuerunt convivia in illorum gratiam, qui in regiones exteras, vel privatis vel publicis de causis erant profecturi; aut qui, negotiis ex animi sententiâ expeditis, domum redierunt; quæ* Valet- oder Letzemahl/ & Willkommenmahl *vernaculo sermone vocantur.*

78. *Hujusmodi convivij meminit* Sueton: in Vitell: c. 13. *dum inquit:* Famosissima super cæteros fuit cœna ei data adventitia à fratre, in quâ duo millia lectissimorum piscium, septem avium apposita traduntur. *Vid.* Turneb. l. 2. adversf. c. ult. Plutarch. in explicat. quæst. *Quinam sint illi qui in Æginâ Monophagi appellantur?* Pet. Fab. l. 1. Semest. c. 6. p. 27. & 28. Stuck. l. 1. ant. conv., c. 29. Et tantum de primâ divisione.

79. A quinque principalibus vitæ humanæ actibus; *illi sunt* Nativitas, Educatio, Muneris susceptio, Matrimonium, & Mors: *Hos enim omnes & singulos, secundùm hodiernum & antiquum omnium ferè gentium morem, convivia aut antecedere, aut consequi videmus.*

80. In nativitate *occurrunt convivia natalitia, quæ duorum sunt generum: Alia quæ statim post partum, vel præter propter agitantur: Alia quæ quotannis, eo ipso die quo quis hanc lucẽ aspexit, agitari consueverunt.*

81. *Primi generis convivia vulgò Puerperalia,* Ausonio *Repotia dicuntur, notante* Turnebo l. 3. adversf. c. 7. *Omnibus enim liquet, cùm apud Græcos, tùm apud Romanos, dies illos, quibus infantibus recèns natis nomina fuerunt imposita, conviviis fuisse celebratos: quæ quidem nominum impositio, apud Judæos in circumcisione, apud Christianos in Baptismo fieri consuevit.*

82. *Et apud Judæos quidem, téstante Scripturâ, octavo ab ortu die, severo Jehovæ mandato, infantes post circumcisionem, nomen acceperunt: Apud Græcos; ut* Aristot. *refert.* l. 8. de hist. animal. extremo, *receptum fuit, ut die septimo pueris nomina imponerentur:* Plutarch: *auctor est, apud Romanos maribus quidem nono, fœminis octavo die nomina fieri solita. Turcæ pueros suos septimo anno circumcidunt, ut téstatur* Bart. Georgevitz: *oculatus testis,* in l. de Turc. mor. *Apud Christianos Baptismi tempus non est definitum: Veteres ipso die natali celebrabant, quod faciendum multis rationibus suadet* Cyprian. ep. 3. ad Fidum: *sed potentiores*

solenniora festa observabant. Vid. Stuck. l. 1. ant. conv. c. 16. Alsted. d. l. §. 12. & seq. Fab. l. 1. sem. c. 6. p. 28.

83. *Apud Germanos, & alias Christiani nominis gentes, illo die quo infans aquâ baptisatur, viri pariter atq; mulieres vino baptisantur, obruuntúrq;, ut neque mens, neque sensus ipsius mentis satellites amplius officium suum facere possint: aliter quam Thraces, qui, referente* Herod. l. 3. *natales suos non lætitiâ, sed luctu fuerunt prosecuti, considerantes innumeras clades homini esse perferendas, quos laudat* Valer. Maxim. l. 2.

84. *Secundi generis convivia natalitia, sunt anniversaria illa epulæ, quæ quotannis, eo die quo quis natus est, celebrantur, German.* den Geburtstag begehen: *quæ quidem apud Ægyptios, Persas, Judæos, Græcos, Romanos, & Germanos in usu partim fuisse, partim esse, perspicuè ex historicis fide dignis deducit* Stuck. l. 1. ant. conv. c. 16. *quem consule.*

85. *Meminêre hujus convivij,* Cic. 2. Philip. Plaut. in Capt. act. 2. sc. 2. & in Pseud. act. 5. sc. 2: Senec. 2. de ira. c. 37. Plut. in Bruto, Anton. & Catone, *ubi dicit, Catonem, cùm à cognato ad convivium natalitiorum die vocatus fuisset, inter pueros ludum ad judices exercuisse, ut invicem accusarent judicaréntq; alios alij, atq; in carcerem ducerent. Meminit hujus ludi* Spart. in Sev. sub init. & Pollio in Gallien. *Vid.* P. Fab. l. 1. sem. c. 6. p. 29. *qui hæc faventibus Musis primus monuit.*

86. In Educatione, *quæ secundus actus est, convivia quæ occurrunt, in duas distribuemus classes: 1. eorum quæ à majoribus in puerorum gratiam celebrantur. 2. eorum quæ ab ipsismet pueris agitari solent.*

87. *Quæ à majoribus in puerorum gratiam habentur, sunt epula tùm* ablactationis, *tùm* dentitionis.

88. Epulæ ablactationis, *hæ Judæis usitatæ fuerunt, ut ex sacris habemus. Nam Abraham eo die quo Isaacus filius ejus à lacte fuit depulsus, magnum convivium dicitur adornâsse.* Genes. 21. *Vid. etiam* 1. Sam. 1. c. *& de tempore ablactationis* Francisc. Valles. de sacr. Philos. p. 634. *Hisce similia fuisse Spartanorum τιθηνίδια, quasi dicas nutricalia convivia, ex* Athenæ. l. 4. *non obscurè colligere licet.*

89. Epulæ Dentitionis, *has apud Fessanos in usu fuisse legimus, apud quos parentes, ubi primùm infans dentes edere incipit, lautum parant convivium: eâ credo de causâ, ut molestias, quas ex odioso illorum ploratu concipiunt, (dolore enim gingivarum ita vexantur, ac si aculeis pungerentur) lætis conviviis depellant, animúmque recreent. Vid.* Stuck. l. 1. ant. conv. c. 17.

90. *Ab*

90. *Ab ipsis pueris agitari solita convivia: hic excellit Atheniensium* κουρεῶτις *sc.* ἡμέρα, *quæ fuit tertia dies Apaturiorum, in quâ pueros trienues quadriennésve (unde* κουρεῶτις, *id est puerilis dicta) societati ascribebant. De hoc festo Vid.* Suid. Herod. l. 2. Xenoph. l. 1. & Stuck. l. 1. ant. conv. c. 17.

91. *Huic festivitati similes sunt nostris temporibus usitatæ puerorum scholas frequentantium feriæ, quæ illis, certis anni temporibus, animos relaxandi gratiâ, parentum præceptorúmque indulgentiâ conceduntur, in quibus plerumque etiam compotationes adhibentur. Quò pertinent Bernensium* Tischlintag/ *& festum quod Tigurini vocant* in die Milch ziehen: *Nec dubium est, apud alias quoque urbes & populos, similium epularum puerilium exempla à curiosè inquirente reperiri.*

92. In muneris susceptione, *quæ tertius actus, latissimus se aperit campus, multa conviviorum genera complectens. Est enim hic omnium ferè populorum antiquus & hodiernus mos, ut ob muneris seu officij qualiscunque, honorifici præsertim, vel susceptionem & initiationem, vel feliciter administrati laudem, vel deniq; depositionem, convivia quasi gratulatoria celebrentur.*

93. *Sed & hîc distinctè procedemus. Officia enim sunt vel* sacra, *vel* politica.

94. Officia sacra: *hîc consideranda veniunt illa convivia, quæ in honorem & gratiam eorum, qui sacris, ecclesiasticis, aut etiam scholasticis muneribus, ornantur atque initiantur, agitari consueverunt: quales epulæ non modò apud Judæos olim in Pontificis maximi, aliorúmque sacerdotum inauguratione, ut ex* Exod. 29. Levit. 6. & 8. c. *colligimus, sed etiam apud Romanos in initiatione Pontificum atque augurum in usu fuerunt. Et cœnæ quidem pontificialis descriptionem, vid. apud* Macrob. l. 3. Saturn. cap. 13.

95. *Præ cæteris tamen omnibus, Pontificis Romani solenne convivium insigne est, quo ille in die coronationis, & feriâ quintâ in cœnâ Domini, Cardinales, Episcopos, atque alios excipit. Cujus descriptionem ex* sex ceremoniarum Romanæ Ecclesiæ libris, *recitat* Stuck. l. 1. ant. conv. c. 8. *Hûc referuntur monachorum, sacerdotum, atque monialium initiationes, quæ non secus atque nuptiæ, (quo etiam nomine indigitantur) profusissimis epulis, nec non ludis tripudiisq; lascivis celebrantur.*

96. *Sed ut & de nostro ordine aliquid adjiciam, hûc referendæ sunt*

illæ epulæ, quæ in exagitationem neophytorũ studiosorum, qui à trivio, ferulâque recentes in Academiam ventitant, instituuntur; & vulgò Schorus, *vel ein* Penalschmauß *vocantur. Quem morem præsertim si, quod solet, recenti libertate ferocientes, veteranis statim æquari volunt, desinuntque (ut* Senec. 5. Benef. 25. *loquitur) meminisse quid fuerint, non improbandum censeo; idq; eo confidentius, cum videam* Dn. Præsidem *eandem sententiam tueri,* Diatrib. 4. Suet. c. 39. sect. 4. l. d.

97. *Ut autem in omnibus aliis, ita & hic auream mediocritatem adhiberi volumus; ne forsitan nostræ Academiæ eundem exitum sortiantur, qualem schola Berytiensis florentissima experta est: in quâ, ut alia omittam scelera, novitiorum exagitatio tanta fuit, ut Imperator* Justinianus, *publico edicto ad Salaminum scripto, illam coercere cogeretur. Cum verò severissimæ Imperatoris comminationes nihil locis invenirent; Deus subitò, intempestâ nocte, fundamenta urbis evertit, mœnia prostravit, domos disjecit; tantâ hominum strage editâ, ut teste* Agathiâ, *tria amplius millia studiosorum, vulgi nomine præterito, miserrimè perierint. Vide hâc de re prolixè disserentem.* Alsted. in florileg. schol. orat. de caus. corrupt. scholar. in Encycl: p. 2790. & seqq.

98. *His annumerari possunt & debent, Academica, id est, Rectoralia, Magistralia, atque Doctoralia convivia; quæ in omnibus ferè Universitatibus, & scholis valdè usitata sunt: quanquam quia modum nonnunquam excedunt, magnóque luxu apparantur, Candidatis, qui hâc ratione æs alienum contrahere coguntur, magno detrimento sunt. Vid.* Stuck. l. 1. ant. conv. c. 18. extremo.

99. Officia politica, *hæc sunt tùm* militaria sagata; *tùm* civilia togata.

100. Officia militaria; *hûc, præter ordinariam illam militum apud varias gentes variam diætam, de quâ* Stuck. l. 1. ant. conv. c. 21. *pertinent convivia bellica solennia, quæ vel in ducis alicujus electione, vel ante & post prælium; inprimis adeptâ victoriâ, majori solita cibi potúsque abundantiâ, militibus apparantur. De quibus passim historici.*

101. *Inprimis verò communis & pervulgata omnium ferè gentium consuetudo fuit, & adhuc est, ut præclaras nobiléisque victorias, cum sacrificiis, tùm epulis ludísq; splendidis condecorarent; quod ipsum præ cæteris Romanos fecisse legimus. Imperatores enim, ut testis est* Plutarch: *post triumphum (unde & cœnæ triumphales dictæ sunt) populum Romanum*

in loco

in loco publico excipiebant, à quo deinde, cœnâ peractâ, honoris ergò domum deducebantur: qui honos quoniam Consulibus præsentibus Imperatori tribui non poterat, Consules ad convivium quidam invitabat, sed postea rogabat, ne accederent.

102. *Maximè verò* à Suetonio in ipſ. vitâ, & Plin. l. 14. c. 15. *celebratur cœna Julii Cæsaris, quam ille in Africano triumpho exhibuit. Nam in illâ, præter obsonia lautissima, uno die in duobus & viginti millibus tricliniis instructæ fuerunt mensæ, vini falerni amphoris centum, chij cadis totidem, & sex millibus murænarum.* Alex. ab Alex. l. 5. gen. die. c. 21. *Celebrabantur autem hujusmodi cœnæ triumphales in Capitolio plerumque, id est* (*ut* Zonaras *exponit* tom. 2. Annal.) *in Capitolij porticibus, interdum tamen alibi; ut notat* P. Faber. l. 1. Semeſt. c. 6.

103. *Ubi hoc notatu quoq; dignum, cùm Romani veteres in cœnis privatis, caput & pectus unguentis perfunderent ex malabathro syrio, nardo, rosâ alióque aliquo florum odoratorum succo, expressis: ut* Athenæ: l. 15. c. 14. uſque ad 19. Clem. Alexand. l. 2. Pæ̃dag. c. 8. *post* Plutarch. l. 3. ſymp. q. 1. Lucret. l. 4. *docent: Illos in cœnarum triumphalium unguentis, minium addidisse, immò & ipsa triumphantium corpora minio illini solita; Sícque Camillum triumphâsse memorat* Plin. l. 3. c. 37. *Consule.* Fabr. l. 1. ſemeſt. c. 6. p. 30.

104. Officia civilia togata; *sunt tùm* ſuperiora, & ſplendida; *tùm* inferiora; & illiberalia.

105. Officia ſuperiora, *& splendida sunt Magistratuum: Ubi notanda occurrunt convivia; quæ in inauguratione, coronationéq; Regum, Imperatorum, Principum, aliorúmque Magistratuum, publicè non sine summâ solennitate parantur; qualia non modò apud Judæos, ut ex* 1. Sam. 9. & 1. Paralip. 12. *liquet, sed inprimis apud Persas, populum luxuriosissimum, in usu fuerunt. Vide* Eſther. c. 1. Joſeph. l. 1. c. 6. *in quibus conviviis Reges rogati à subditis, eos voti compotes facere tenebantur, ut ex* Herod. l. 9. *videre est.*

106. *Sic Romæ moris fuit, ut Magistratus designati, inprimis Ædiles, & Coss; (quos sortitis provinciis Latinas ferias in monte Albano indixisse, populísq; Latinis carnem distribuisse, testatur* Alex. ab Alex. l. 5. gen. dier. c. 7.) *magnificas splendidásque epulas populo exhiberent; quod in cæteris quoq; coloniis, municipiisq; à Decurionibus qui in causis civilibus judicabant, factum esse legimus: Cujus convivij umbram adhuc apud Viennenses*

nenses manere, testatur Lazius. l. 3. Reip. Rom. *Solent enim in modò laudatâ urbe, festo Petri & Pauli, cùm naumachia in Danubio editur, Consul & senatores simul epulari.*

107. *Inprimis verò apud nos Germanos illustre ac magnificum est convivium Cæsarianum, quod post Imperatoris alicujus electionem agitari consuevit. Quale epulum in coronatione* Maximiliani II. *Francofurti ad Mœnum, anno 1562. celebratum est: Ubi nummi aurei & argentei in vulgus sunt jactati; Cæsari ministrabant in curiâ primò Electores, deinde singuli singulas occupabant mensas aureis stragulis adornatas; ante curiam album & rubrum merum, duabus fistulis per speciem bicipitis aquilæ editæ columellæ impositi, subterraneâ derivatione profundebatur; veteri etiam consuetudine bos integer multis aliis animalibus fartus, ligneo veru, in foro torrebatur. Vide* Stuck. l. 1. ant. conv. c. 20.

108. *Quod ipsum à Romanis originem suam traxisse, negari non potest. Principes enim Romani, ut refert* Fab. l. 1. semest. c. 6. p. 30. *eo die quo Augusti appellationem reciperent, ad convivium Magistratus, & senatorum præcipuos, invitare fuerunt soliti.* Idem ibidem *notat.* p. 32. *quod in provinciis quoq; convivia fuerint, cum ad eas Magistratus primùm accederent; quibus & Magistratus à provincialibus acciperentur, & ipsi provinciales acciperent.*

109. Officia inferiora, *& illiberalia, sunt tùm* Opificum *tùm* Rusticorum.

110. Opificum: *Et hi suis gaudent conviviis. Nam, ut nihil dicam de commessationibus, apud singulos ferè opifices usitatis, in diebus divorum & divarum, quos ceu artificij sui patronos atq; tutores, ut pictores* Lucam, *fabri* Eulogium, *sutores* Crispinum, *sartores* Gutmannum, *& alij alios omni honoris genere prosequuntur. In Germaniâ communis ferè & pervagatus opificum mos est, ut quo die primùm noctu ad candelam vel incipiunt, vel rursus desinunt operari, unà liberaliùs solito epulentur; quod sympofii genus vernaculo sermone* Liechtbratten/ Liechtgangß/ oder Keelbratten *vocant.*

111. *His perquam similes sunt communes illæ epulæ, quæ artificibus, post operis alicujus absolutionem perfectionemq; exhibentur: Cujusmodi illud est, quod post erectam alicujus domus contignationem fabris, immò & cæteris vicinis, apparatur, & vulgò* ein auffrichtung/ oder auffrichtungmahl *dicitur.*

112. Rusti-

 Rusticorum: *Nam & hi, ut olim, sic hodiè quóque certa quædam, atque festiva habent convivia, quæ ab illis post laborum perfunctionem, animi rejiciendi causa agitantur. Sic apud Hebræos olim in tonsura ovium magnifica planè convivia in usu fuisse ex sacris habemus.* 1. Sam. 25. Gen. 31. & 2. Sam. 13. c. *Ad quæ quàm proximè accedunt epulæ hodiernæ, quæ apud nos, cùm in urbe, tùm in pagis, post pecorum quorundam, ut ovium, boum, & præsertim suum mactationem, summâ cum lætitiâ agitari solent, quæ idcirco,* Kutfleisch/ zur grossen wurst/ oder Wurstmahl/ *appellantur.*

113. *Apud nostros hodiè multa sunt rusticorum propria convivia: ut post sementem factam fieri solitum epulum,* Saathasen/ *item* Eyer in Ancken/ *à cibo nimirum qui in illo dari consuevit, ut sunt ova frixa in butyro; post fœnisectionem* Krähhannen *id est Gallicinium; absolutâ messe,* Sichellöse / Sichellege oder Schnithanen/ *à falcium depositione, & frumenti sectione; post triturationem* Pflegellege/ oder Pflegelhencke/ *à flagellorum quibus triticum excutitur suspensione; peractâ vindemia* Herbstbadt/ *vulgari sermone appellantur. De quibus consule* Stuck. l. 1. ant. conv. c. 23.

114. In matrimonio, *quod quartus actus est, ponderanda veniunt illa symposia, quæ vel* ante, *vel* in, *vel* post nuptias, *sive connubium, quo, ut inquit* Plato 5. de leg. *maxima fit humanæ vitæ mutatio, institui solent.*

115. Ante nuptias *convivia agi solita sponsalitia dicuntur, illa tempore sponsaliorum, quibus mutua futurarum nuptiarum repromissio fit, instituuntur, nec modò apud Judæos,* Genes. 24. Matth. 1. Tob. 7. c. *sed apud Græcos quoque ac Romanos in usu fuisse satis constat. Eorundem exemplum illustre extat apud* Plin. l. 9. c. 35. *cujusmodi convivia sponsalitia, apud Germanos nostros non minùs frequenter in usu sunt, quæ idcirco ab illis* Heyrahtmahl *appellantur.*

116. In ipsis nuptiis *convivia quæ aguntur Nuptialia vocantur, quorum exempla in omnium ferè gentium historiis reperies. Præ cæteris in sacris descriptæ sunt cœnæ nuptiales Jacobi,* Gen. 19. c. *Simsonis,* Jud. 14. Tobiæ 7. c. *vid. etiam* Johan. c. 2. *Apud Græcos epulas nuptiales invitatis ad illas vicinis, nec non sponsi sponsæq; sociis ac æqualibus, cum musicâ atque ludis celebrari fuisse solitas, ex scriptoribus colligimus. Vid.* Home. Iliad. 8. *ferè ab init.* Athen. l. 4. in pr. & l. 12. *ubi Alexandri nuptialium conviviorum descriptionem satis amplam habet.*

117. *Qualem olim magnificentiam seu luxum potiùs in nuptiis Romani adhibuerint; profani auctores, qui paßim plurima exempla describunt, testantur. Vid.* Varron. l. 5. c. 2. Apul. l. 6. de aur. asin. *ubi inquit*: nec mora, cùm cœna nuptialis affluens exhibetur: accumbebat summum torum maritus, Psychen gremio suo complexus &c. *&* eundem in Apolog. 2. & l. de mundo. P. Fabr. l. 1. semest. c. 6. Stuck. L. 1. ant. conv. c. 24. *Ibi memorabile est quod de incolis Hyberniæ, ex* Boëmo de variis gentibus, *&* Stuckio d. l. *refert* Alsted. d. l. §. 39. *quod nimirum canino more agitent festa nuptialia; singulos enim convivas ex ordine secundum ætatem novam nuptam cognoscere, ultimum sponso dari locum: quod ipsum* Herod. l. 4. *de Nasamonibus quoq; testatur.*

118. Post nuptias *symposia fieri solita, à Græcis γάμεια, à Latinis, teste* Festo, *repotia dicta sunt; quorum vestigia non obscura apud nostros hodie cernere licet, quæ duplicis sunt generis: Alia quæ postridie ejus diei, quo nuptiæ fuerunt peractæ, instituuntur,* Nachhochzeit *dicta, ad quæ pauciores, novorum nimirum conjugum cognati affinésque, invitantur: alia quæ à sponsi primùm, deinde sponsæ consanguineis, in neonymphorum honorem, paucis post nuptias diebus parantur, ut major inter illos notitia amicitiáque contrahatur, quæ vulgari sermone* Brautmähler *appellantur.*

119. In morte, *quæ quintus & ultimus est vitæ humanæ actus, & quæ mortem sequitur funeratione & parentatione; illa trutinanda sunt convivia, quæ statim post mortem, vel in ipsâ funeratione, vel finito luctu, agitare consueverunt. Nam ut dies nativitatis, sic mortis quoque, principum præsertim personarum, epulis quoque magnificis celebrari, antiquissimo sanè omnium ferè gentium more, qui & hodie obtinet, receptum fuit.*

120. *Et apud Judæos quidem sepulchralia convivia agitandi consuetudinem fuisse, ex sacris,* 2, Sam. 3. §. 33. *apparet; quos hâc in parte Græci simul & Romani studiosè secuti sunt. Sic enim Achilles in honorem Patrocli demortui splendidum convivium apparari curat,* Hom. Ilid. φ. *Idem Poëta, in fine* Iliad. ω. *Hectoris epulum sepulchrale describit. Consule* Athen. l. 7. *&* l. 8. Cæl. Rhod. l. 17. c. 22. *Sic* Livius *quoque* l. 9. Dec. 4. *testatur, P. Licinij funeris causâ visceratiomem datam esse. Vid.* Virg. l. 3. *&* 5. Æneid. Suet. in Jul. c. 26. *ubi ait:* Munus populo epulumq; pronunciavit in filiæ memoriam, quod ante eum nemo fecit. *&* Fabr. l. 1. semest. c. 6. p. 28.

121. *Nonnullæ tamen gentes convivia exequialia agitârunt planè monstrosa.*

monstrosa. Nam Scythæ cadaver per quadraginta dies circumferebant, quotidiè commessabantur, & deindè humabant, Herod. l. 4. *Issedones in Scythiâ parentum suorum funera cantibus læti prosecuti sunt, & cadavera dentibus laniârunt, pecorúmque visceribus mixta convivio inter epulas apposuerunt; cranio verò loco poculi usi sunt; quod de Celtis etiam scribitur Vid.* Solinum, & Melam. *Calati apud Indos parentes suos, priusquam annis aut morbo aliquo in maciem seniúmq; abirent, velut Deorum hostias mactârunt. Idem fecerunt Padæi apud Indos, & Massagetæ, qui parentes in frusta concisos mensæq; appositos absumebant; satius rati, à se illos quàm a vermibus absumi.* Herod. l. 1. *Americenses hostium suorum, quos bello ceperunt, corpora, per dies aliquot benè saginata & assata, seu suavissimas delicias, magnâ cum lætitiâ vorant, ut refert oculatus testis* Johan. Leryensis Gall: *Vid.* Stuck: l. 1. ant. con. c. 26. & Alsted. d. l. §. 50.

122. *A Græcis porrò & Romanis ad Christianos quoq; consuetudo funerales epulas celebrandi, devoluta fuit, quas Germani nostri,* Todten- oder Leichmahl/ oder dz Leid vertrincken/ *vocant; quæ etiam summâ cum luxuria, immanibúsque pecuniarum jacturis aguntur. Quibus annumerandæ sunt & illæ epulæ atque dapes, quæ illis, qui mox capitis supplicio sunt afficiendi, secundùm consilium Syracidis, exhibentur; quas vernaculâ linguâ* Henckermahl *id est carnificis epulas dicimus. Vid.* Stuck. l. 1. c. 26. extremo. Et tantum de conviviorum divisione.

123. Partes conviviorum, *quas non nisi analogicè ita vocamus, commodè distingui posse censemus in ea, quæ convivium vel* antecedunt, *vel* comitantur, *vel* consequuntur.

124. Antecedentia *Conviviorum respiciunt tùm* convivatorem, *tùm* convivas.

125. Convivatorem *quæ respiciunt sunt tùm* invitatio, *tùm* Præparatio.

126. Invitatio, *in eâ probè observanda, tùm* numerus *invitandorum, tùm* tempus.

127. Numerus *invitandorum, ut enim nihil de invitandorum delectu adhibendo, de quo passim multa occurrunt apud auctores præcepta, in præsenti dicam; quod numerum convivarum attinet, veteres ethnicos valdè religiosos in eo fuisse constat.* M. Varro, *teste* Agell: l. 13. c. 11. *dicit: Convivarum numerum incipere oportere à Gratiarum numero, & progredi*

gredi usque ad Musarum; id est proficisci à tribus & consistere in novem, ut cum paucissimi convivæ sunt, non pauciores sint quam tres; cùm plurimi, non plures quàm novem. Macrob, l. 1. c. 7.

128. Apud Judæos in conviviis nuptialibus, tot licet invitare quot vult aliquis, ita tamen ut decem ad minimum his conviviis intersint, alias uti non possunt eâ precationis formulâ, in illis epulis usitatâ. Inprimis vero notum omnibus est adagium, quod Jul. Capitol. in vitâ L. Veri Imp. habet: Septem convivium, novem verò convitium. Confer Eras. in ad. Chil. 1. cent. 3. c. 97.

129. Lege Fanniâ apud Romanos cautum fuit, ut extra domum non plures tribus, in foro non plures quinque convivio excipere liceret, ut testis est Athen. l. 6. extre; quem convivarum numerum L. Verus Imp. auxit, qui primus cum duodecim solenni convivio fertur accubuisse, ut scribit Capitol. in ips. vitâ, Post quem Heliogabalus Imp. simul ad cœnam vocare solitus est octo calvos, octo luscos, octo podagrosos, octo surdos, octo raucos, octo insigniter nigros, octo valde longos, octo prapingues, & octo nasutos. ut refert Lamp. delectatus forsan illo Græcorum proverbio: Omnia octo, de quo Erasm. in adag. Vid. & Al. ab Alex. l. 5. gen. dier. c. 21.

130. Plato in symposio suo sex convivas, Xenophon octo adhibet, ut unà cum convivatore illic septem, hic novem sint. Apud nos de numero convivarum nihil certi habetur: multitudo tamen fere semper, quantum ejus fieri potest, cavetur, vulgato etiam proverbio confusionem parere, nostris asserentibus. Vid. Plut. l. 5. symp. q. 5. Jan. Cornarium, de conv. p. 41. Stuck. l. 2. ant. conv. c. 1. & 2.

131. Tempus. Sybaritæ, ut scribit Plutar. in conv. 7. sapient. ante annum mulieres consueverunt ad convivia invitare, quò satis haberent temporis (nam ut facete inquit ille: Mulieres dum moliuntur, dum comuntur annus est) ad sese pretiosis vestibus ornandum. Apud Germanos ad convivia, præsertim lautiora, biduo antè fit invitatio. Quanquam quot ferè sunt populi, quot etiam circumstantiæ; tot sunt vel maturiùs vel seriùs invitandi consuetudines. Omninò enim, ut est in proverbio, Lex regio. Vid. Stuck. l. 2. ant. conv. c. 3.

132. Interdum tamen nonnulli alienis conviviis non vocati superveniebant, quos Germani selbst geladene Gäste vocant: quorum aliqui omninò non vocati quibusvis epulis se ingerebant, qui parasitorum & muscarum nomine noti sunt, unde apud Plaut: quærere hospitium à muscis liberum; à Germanis nostris sequentibus dicteriis notantur: Er ist ein

Schmarotzer,

Schmarotzer / Suppenfresser / Tellerschlecker / Schmeckebrätel / hat gern Gäste in ander Leute Häuser / etc. *aliqui verò à convivarum aliquo rogati, ad convivia accedebant. quos umbras & convivarum comites dixêre.* Plutarch. l. 7. Symp. quæst. 6. Apulei. l. 5. Stuck. l. 2. ant. conv. c. 4. & c. 6. in princ.

133. Præparatio. *Hæc respicit partim* Alimenta, *partim* Supellectilem & vasa convivialia.

134. Alimenta, *In his considerandæ veniunt tùm* comparatio, *tum* præparatio.

135. Alimentorum comparatio. *Hic commodus sanè locus esset, de variis alimentorum, quæ partim esculenta, partim potulenta sunt, nominibus atque generibus agere: quia verò nonnulli auctores nunquam satis laudati,* Joan. nimirum Bruyerinus Campeg. l. 22. *quos inscripsit* de re cibaria; Christoph. à Vegâ Hisp. Villichius de arte Magyr. Galenus in lib. de aliment. facul: *&* de cibis boni & mali succi. Stuck. l. 2. ant. conv. c. 8. *hoc labore ante me præclare defuncti sunt, illo jam supersedebo.*

136. *Hoc quasi obiter indicabo, non ex sacris sed profanis quoq; auctoribus constare, antiquissimum hominum victum, fructus arboreos, & inter hos primum cibum fuisse glandes: unde φάγειν edere, nonnulli ἀπὸ φαγῶν à fabu sive glandibus derivant. Hûc proculdubio alludit* Tibull. 2. Eleg. 3. Glans alat, & prisco more bibantur aquæ. *Vid.* Ælian. de variâ hist. l. 3. c. 39. Pausan. l. 8. Plin. l. 7. c. 56. in prin. *De locustis quibus D. Johannes vesci solitus fuit quarum in sacris literis & Rabinorũ monumentis septem genera occurrunt, consule* Stuck. l. 2. ant. conv. c. 9. Alsted. d. l. §. 128.

137. Alimentorum præparatio, *hæc per artem culinariam seu coquariam perficitur, in quâ tùm* Personæ, *tùm* Locus, *probè notandus.*

138. Personæ: *Apud Judæos ipsæ matres familiâs antiquitùs rem culinariam curârunt, ut ex sacris,* Gen. 18. Jud. 6. & Levit. 26. *ibi:* Decem mulieres coquent panem in clibano uno, *colligimus: Id quod hodiè quoque apud nos in benè constitutis familiis fieri consuevit. Apud Romanos antiquitùs mulieribus neque molere, neq; coquere licuit, ut refert* Plutarch. in probl. *idque credo ob specialia pacta post raptum Sabinarum inita. Igitur cùm antiquitus, ut scribit* Plin. l. 18. c. 11. *coquos non haberent in servitiis Romani, eos ex macello conducebant: sed post Asiaticam*

victoriam crescente luxuriâ, coquus vilissimum antiquis mancipium, in precio esse; & quod ministerium fuerat, ars haberi cœpta est, ut testis est Livius.

139. Locus *vocatur culina, quæ fuerunt tùm publica, in quibus obsonia jam cocta vendebantur, & addicebantur cuilibet licitanti, quæ jam speciali nomine Popinæ* Garküchen *dicuntur: tum privatæ, quas in illâ olim ædium parte fuisse tradit* Servius, *quæ atrium dicitur, à fumi nigrore nominis ratione deductâ. Vid.* Stuck. l. 2. ant. conv. c. 13

140. Supellex & vasa convivialia, *hæc varia & multiplicia sunt, quorum alia sessioni, seu accubationi; alia manuum pedumq; ablutioni; alia luminibus; alia cibis tum apponendis tum dissecandis & distribuendis; alia potulentis inserviunt. Sed quia omnia recensere nimis longum esset, de Mensis solùm, quæ principem facilè inter instrumenta convivialia locum obtinent, paucis agam.*

141. *Apud Romanos antiquitùs mensæ in quibus epularentur, ex acere, aut fraxino, quadratæ primùm, deinde orbiculatæ fuerunt, ut scribit* Plin. l. 33. c. 11. & Athen. l. 11. c. 13. *Labentibus deinde moribus tantæ luxuriæ factæ sunt, ut æratæ primùm, deinde citreæ mensæ quæ elephantinis pedibus sustinebantur orbiculatæ magno sumtu fierent, quarum precium auro appendebant; aut ex ebore, vel testudine sectis putaminibus in laminas. Vid.* Livium. 4. Dec. l. 9. Plinium. l. 9. c. 11. *Heliogabalus deinde primus argenteas mensas habuit, ut refert* Lamprid. in illius vitâ.

142. *Persæ cùm antea in vimineis toris discumberent, postea mensas lectósque auro fulgentes & gemmis, magnificè construxêre, in quibus vasa non minoris census adæquârunt. Confer* Herod. l. 9. & Plutarch in Apopht. Pausan. & Cleobruti: Alex. ab Alex. l. 5. gen. dier. c. 21. *Turcæ hodie mensis non utuntur; sed vel in nudâ humo discumbunt, vel tapetia & pulvinaria subjiciunt:* & sanè terra optima est mensa, quæ suppeditat omnis generis alimenta, *ut loquitur* Alsted. d. l. §. 140. *Refert tamen* Barth. Georgevitz, *quod mensa Turcarum, Tophra dicta, ex corio fiat, explicetur & contrahatur ut marsupium, plurimúmque è corio bubulo aut cervino adhuc hirsuto paretur.*

143. *Apud nostros hodiè cerasinæ, fraxineæ, acerinæ, & abiegnæ; apud Magnates marmoreæ, eboreæ, & cupressinæ in usu habentur: nonnullæ etiam tessulis ac præsegminibus diversi coloris distinctæ sunt, quas segmentatas nominant. De variâ mensas adornandi, exstruendi, abstergendi, apponendi, removendiq; consuetudine Vid.* Stuck. l. 2. ant. conv. c. 19.

144. *Quis*

144. *Quia verò ipse convivij dominus non facilè omnia, quæ ad convivium justum legitimùmque pertinent, efficere atque præstare potest; ab omnibus ferè gentibus receptum est, ut ministrorum fidelium, atque peritorum operâ, ad illud partim adornandum, partim regendum uteretur; in quibus ministris convivialibus, tum varia genera ac nomina, tùm eorundem habitus atque officium consideranda veniunt, quæ omnia latè persequitur* Stuck. l. 2. ant. conv. c. 20. & tribus seqq.

145. Convivas *quæ respiciunt, sunt* Præparatio, Adventus, & collocatio.

146. Præparatio convivarum; *hæc consistit, in* exercitationibus, *in* balneis, *& in* vestitu conviviali.

147. Exercitationes, *harum magnus apud veteres ante cibum usus fuit, neque sine utilitate maximâ. Nam ut* Cels. l. 1. c. 2. *inquit*: Prima ejus (*id est corporis*) curatio, exercitatio est, quæ semper antecedere cibum debet, in eo qui minùs laboravit, & benè concoxit, amplior; in eo qui fatigatus est, & minùs concoxit, remissior. Commodè verò exercent clara lectio, arma, pila, cursus, ambulatio, &c.

148. *Sic Socrates, ut de eo scribit Cic. cùm usque ad vesperam; quâ cibum antiquitus capere solebant, contentius ambularet; quæsitumq́, esset ex eo, quare id faceret, respondit: se quò melius cœnaret, obsonare ambulando. Cyrus similiter,* teste Xenoph. l. 2. *nunquam cœnâsse fertur, priusquam suaderet fames, aut laborem aliquem rerum bellicarum aut rusticarum obiisset, ideóque secundâ perpetuò valetudine usus fuisse perhibetur. Sic Ægyptia juventus Amasi edictio, non priùs cibum capiebat, quam 180. stadia percurrisset, teste* Herodoto. *Sic Galenus non raro in agrotum linguâ findere, tùm fodere, & alia quædam opera rusticana facere exercendi corporis causa ante cibum, deprehensus est.*

149. Balnea, *de his iterum* Celsus l. 1. c. 2. *præclarè ait*: Exercitationem rectè sequitur modò unctio, vel in sole, vel ad ignem; modò balneum; sed in conclavi quàm maximè & alto, & lato, & spatioso, *quales omnino veterum balneas fuisse, ex earum descriptione, quæ apud* Vitruv. *&* Galen. *occurrit, liquet. Erant verò illarum quinque partes: Prima erat locus in quo vestes deponebantur, Græcis dicta ἀποδυτήριον, Germanis* Außziehestube: *secunda erat cella rotunda, testudinis instar constructa, & ignitis vaporibus incensa, Germanis* Schweißstubt: *tertia erat conclave, quod lavacrum appellabant, in quo homines consi-*

 dentes

dentes calidâ abluebantur, Germanis Wasserbadt: *quarta erat frigidarium, ubi frigidâ perluebantur, Germanis* abkulesstuben: *quinta erat unctuarium, ἀλειπτήριον, in quo sudor detergebatur, unctioneque egentes ungebantur. Vid.* Cels. l. 1. c. 4. *qui brevissime omnia complectitur.*

150. *Horam balnei ante cœnam,* Plin. l. 3. ep. ad Calv. ep. 1. *indicat his verbis, de Spurina loquens:* Ubi hora balnei nunciata est, (est autem hyeme nona, æstate octava) in sole, si caret vento, ambulat nudus &c. *Commodus tamen Antoninus Imperator luxuriosissimus, non semel ut alii per diem, sed septies atque octies lavare est solitus; quod de Pertinace, Gordiano, & Gallieno junioribus, ac Adriano refert* Perottus in Cornucop.

151. *Apud Judæos ante cibum, manuum atque etiam pedum lotiones usitatas fuisse, ex Bersabea,* 2. Sam. 11. *& Susanna* Dan. 13. *exemplis liquet. An verò more Græcorum Romanorúmque, balneis ac totius corporis lavationibus, & unctionibus usi fuerint, id non videtur expresso aliquo, manifestoq; sacræ scripturæ loco comprobari posse, ut ingenuè fatetur* Stuck. l. 2. ant. conv. c. 25.

152. Vestitus Convivialis, *fuit hac veterum, quæ etiamnum viget, consuetudo; ut ad convivia accessuri, certis ac peculiaribus quibusdam vestibus, & quidem splendidioribus uterentur; quas quidem vel domi haberent ad cœnam, vel si foris cœnarent, acciperent ab amicis, aut ipsi adferrent.*

153. *At Romani quidem peculiares vestes cœnatorias habuerunt, de quibus ita* Lips. l. 3. ant. lect. p. 144. Priusquam accumberent, togas mutabant vestibus, quas à re cœnatorias dixerunt. *Harum in vitis Imperatorum crebra fit mentio. Sic Maximinus, teste* Jul. Capitol. *cùm puerulus ad cœnam ab Alexandro Imperatore esset rogatus, in patris honorem, quòd ei deesset vestis cœnatoria, ipsius Alexandri accepit.*

154. *Ut autem Romani in sacris, in Magistratuum petitionibus, in manumissionibus, in spectaculis, triumphis, nuptiis, in luctu quoque & cadaveribus involvendis, vestibus candidis usi sunt; ita quoque in conviviis easdem adhibuisse, auctores testantur:* Cic. in or. cont. Vatin. *inquit:* Atque illud etiam scire ex te cupio, quo consilio, aut quâ mente feceris, ut in epulo Q. Arrii familiaris nostri, cum togâ pullâ accumberes? quem unquam videris? quem audieris? quo exemplo, quo more feceris? *& paulo pòst:* Quis unquam cœnavit atratus? *Vid.* Alex. ab Alex. l. 5. gen. dier. c. 21. Lips. l. 1. elect. c. 13. *ut & in genere de coloris albi usu, significatione, atq; præstantiâ* Stuck. l. 2. ant. conv. c. 26. *& ex illo* Alsted. d. l. §. 132.

155. *Legi-*

155. *Legimus praeterea Romanos veteres consuevisse calceos sive soleas in triclinio ponere antequam accumberent, ne videlicet lectos conspurcarent. Huc alludit* Plaut. in Trucul: Jam rediit animus, deme deme soleas, cedò vinum. *Consule* Lips. l. 3. ant. lect. p. 145. & Stuck. l. 2. ant. conv. c. 26. *Quem morem apud Graecos quoque viguisse, colligo ex* Plat. in symp. p. 26. *Ibi:* Dixisse igitur Agathonem, exuite pueri calceos Alcibiadae, &c.

156. Adventus convivarum *continet tùm* tempus, *tùm* salutationem.

157. Tempus, *voluerunt enim omnes penè gentes, ut convivae opportuno & constituto adsint tempore. Nonnulli tamen citiùs quàm par est, ad convivia accedunt, qui a Graecis eleganter, ut est apud* Plutar. l. 8. symp. q. 6. *τρεχέδειπνοι appellantur: Alij verò nimis tardè seròque se sistunt, qui a* Plut. d. l. *κωλυσίδειπνοι remoratores dicuntur. Quod qui faciebat apud veteres, illum nisi triclinio circuitu admitti non sinebant, & tunc epulari jussus discumbebat, ut refert* Al. ab Alex. l. 5. gen. dier. c. 5. extremo. *Hodie verò jam sedentium ludibrio nonnunquam esse solent, & ab illis sequentibus jocis perstringuntur:* Tardè venientes, malè sedentes, Wer sich versaumet der hat den schaden/ Er kommet wann man das gebrattens gibt/ Wir haben mit der lincken hand auff jhn gewart/ Nach dem essen seyd vnser Gast/ etc. *Vid.* Stuck. l. 2. ant. conv. c. 20.

158. Salutatio. *Ita partim verbis; quarum varias formulas varie usitatas recenset* Stuck. l. 2. ant. conv. c. 31: *partim corporis motu gestuque fiebant. Nimirum vel capitis denudatione, ut apud Romanos, Hungaros,* Bonfin. l. 10. dec. 3. *Moscovitas,* Olaus l. 11. c. 11. Sept. hist. *& Germanos. Vel totius corporis prostratione, ut apud Persas, Medos, & Indos: Vel manuum, & praesertim dextrae apprehensione, deosculationéque, ut apud Romanos,* Plinius l. 28. c. 2. *Graecos,* Hom. Iliad. ω. *& hodiè apud nos; Vel genuum pedúmque, tùm tactu, tùm exosculatione, ut apud Romanos, Polonos, & hodiernos Papas, vid. de hâc Pontificis Romani pedum deosculatione differentem* Polyd. Virg. de rer. invent. l. 4. c. 13. *Vel deniquè osculo, ut apud Judaeos,* Exod. 18. *Christianos primitivae ecclesiae,* 1. ad Corinth. 16. & 13. *Persas.* Xenop. in Cyr. *Spartanos,* Coeli: Rhod. l. 15. c. 9. *Romanos,* Plutarch. in problem: Rom. *Belgas, Flandros, Anglos, Gallos, &c.* Stuck. l. 2. ant. conv. c. 32.

159. Collocatio: *Hic primò locus probè observandus, in quo homines epulari*

nes epulari olim soliti sunt, & adhuc solent; quorum a'im pu... privatus est; fiunt enim convivia vel sub dio vel sub tecto, sub t..., tentoriis, papilionibus, vel in urbe, vel in agro, in pomariis, pratis, hortis, nemoribus, in lucis, vel in basilicis, cœnaculis, aliisq; locis pluribus.

160. *Claudius Cæsar utplurimum sub dio discumbere est solitus, ut plerumque sexcenti discumberent.* Sueton. in ips. vitâ. *Ægyptij in propatulo extra sua tecta vescebantur, teste* Melâ; *id quod Romani,* M... ob. l. 3. c. 16. Val. Max. l. 2. c. 1. Agell. l. 12. c. 15. *& Spartani ex instituto Lycurgi fecerunt.* Plutarch. in vit. Lycurg. *Xerxes in Lydia umbra platani valde delectatus, diem integrum sub illa consumsit; & hodie quoq; sub arboribus quæ patulis sunt diffusæ ramis, inprimis sub tiliis, quercubus, ac platanis convivia agitari videmus, ubi excellit Sanpetrea illa quercus Basil..., de quâ vid.* Stuck. l. 2. ant. conv. c. 14. *Consule etiam* Alex. ab Alex. l. 5. gen. dier. c. 21.

161. *Sed ut ad collocationem propiùs accedam, convivator interdum ipse collocat convivas, sicut Joseph.* Genes. 43. *nonnunquam convivarum arbitrio id permittit, ubi plerumque consuetudini inserviendum est. Fit autem hæc convivarum collocatio sive situs, duobus potissimùm modis, vel* Sedendo, *vel* accubando.

162. Sedendo. *Hic omnium antiquissimus, & hodieque apud omnes ferè gentes usitatus modus est. de quo ita* Philo. *mentionem faciens convivij quo Josephus fratres exceperat:* Jussi deinde sedere juxta ætatis ordinem (nondum enim discumbendi mos receptus erat) mirabantur &c. *id quod passim quoque asserit* Athen. *Sic Lusitani,* Strab. l. 3. *Illyrij,* Athenæ. l. 10. c. 14. *Galli,* Strab. l. 4. *Galatæ in pellibus luporum & canum,* Athen. l. 1. c. 11: *Indi præter Regem,* Philost. in vit. Apoll. l. 2. c. 12. *sedentes cœnitabant. Alexander quoque M.* Plut. in ips. vit: *& Cato junior post civile bellum, non accumbens utpriùs, sed sedens, cibo parciore usus fuit. Vid.* Alex. ab Alex. gen. dier. l. 5. c. 21.

163. Accubando. *Hunc accumbendi morem non Judæis modò, sed inprimis Græcis & Romanis usitatum fuisse, extra controversiam est, quem etiamnum plerusque oriens usurpat. Ejus modum ita describit* Lips. l. 3. ant. lect. p. 145. Accumbebant reclinatâ superâ parte corporis in cubitum sinistrum, inferâ in longum porrectâ ac jacente; capite leviter erecto, dorso à pulvillis modicè suffulto. *Occupabant autem unum lectum, quorum plerumque tres circa mensam erant, in magnifico epulo vix bini, plerumq; verò terni, aut quaterni; ita fiebat, ut ex unâ communi mensâ vix supra duodecim vescerentur.*

164. *Ut*

164. *Ut verò eò meliùs percipiatur, quomodò in tali decubitu omnes æquâ parte ad mensam pertingebant, afferam locum è* Lips: l. 3. ant. lect. p. 145: Primus decumbebat ad caput lecti, cujus pedes porrigebantur pone dorsum secundi; secundus verò occiput obvertebat ad umbilicum primi, pulvillo interjecto, pedes jacebant ad tergum tertii, & sic deinceps tertius, sic quartus. *Et paulo infra* l. d. p. 146. *de loci dignitate apud Romanos ita disserit ille dædalus artifex linguæ latinæ* Lipsius: Si tres convivæ in uno lecto, medius dignissimus; proximus honore, summus; si quatuor medium censeri arbitror proximum à summo; si duo tantùm, dignissimus summus fuit. *Apud Persas tamen locus medius, apud Græcos primus erat honestissimus. Cetera cùm plures cænarent, sedebant in circulo, medius erat optimus, sic & apud Numidas.* Plutarch. l. 1. Symp. q. 2. & 3. Lips: l. 2. elect. c. 2. Alex. ab Alex. l. 5. gen. dier. c. 5.

165. *Nonnunquam tamen, vel stando vel inambulando cibus sumitur, cùm scilicet raptim comeditur à festinantibus, ut à Judæis Pascha manducantibus. Sic Hannibal & Terentius Varro, ut plurimum stando cœnati sunt, ut refert* Justin. l. 32. Eutrop. rer. Rom. l. 3. c. 3. Alex. ab Alex, l. 5. gen. dier. c. 21.

166. *Apud Græcos & Macedonas mulieres non accumbebant in convivio virorum,* Herod. l. 5. Justin. l. 5. & Plato in symp: *Apud Romanos autem in ipsis lectis cum viris cubantibus, fæminæ sedentes cœnitabant.* Valer: Maxim: l. 2. c. 1. post princ: *In solenni oribus tamen atque celebrioribus epulis, plerumque separatim à viris in certis cœnaculis cœnârunt.* Stuck. l. 2. ant. conv. c. 31. Qua in parte, *ut inquit:* Jan. Cornarius, l. de conv. p. 34. nostri, illis Platonicis sive Græcis longè civiliores videri debent. Nostri enim singuli singulas ducentes, socias in symposiis circumducunt; aut si in uno loco permaneant, assidentes sibi habent, ita ut alternatim sexus uterque ad sellas, jucundâ quâdam variegatione collocetur. *Vid.* Alex. ab Alex. l. 5. gen. dier. c. 21. & Alsted. d. l. §. 121.

167. *Post accubitum verò, antequam cibum caperent, apud Judæos pariter & Christianos precationes, quæ vulgò mensæ consecrationes appellantur, adhibitæ fuerunt; quibus quàm proximè ethnicorum libationes responderunt, in quibus solenne antiquis fuit, ut ex paterâ leviter vini aliquid defunderent vel in mensam, vel in terram, vel in quemcunque alium locum pro re natâ. Non solùm autem Diis, ut amatores Veneri, milites*

Marti: sed beneficiis quoque in se personis, maximè viris principibus libabant. Hinc in multâ copiâ honorum Augusto, ut tradit Dio Cassius *etiam hoc decretum; ut per genium ejus vulgo jurarent, & in conviviis omnibus pro salute libarent.* Macrob. l. 3. Saturn. c. 13. Alex. ab Alex. l. 5. gen. dier. cap. 21. Lips. l. 3. ant. lect. Stuck. l. 2. ant. conv. cap. 37. *&* 38. & tantum de convivii antecedentibus.

168. Concomitantia conviviorum, *hæc ipsum convivii actum continent, in quo occurrunt tùm* Substantialia, *tum* oblectamenta.

169. Substantialia *conviviorum respiciunt tùm* corpus, *tùm* animum:

170. Corpus, *hic agendum de ferculis, quorum observanda* Appositio, distributio, & sumtio.

171. Appositio *ferculorum, ubi tria probè notanda:* Personæ apponentes, ordo, & modus.

172. Personæ apponentes, *apud Græcos ancillas ferè atq; famulos legimus munus hoc obiisse, ut passim ex* Homeri *scriptis apparet. Coquorum quoque id antiquitus fuisse muneris videtur, qui à Latinis dapiferi, à Germanis* Truchsässen *indigitantur. Hodie tamen ipse aliquando convivii dominus, aliquando mater familias, nonnunquam famuli & ancillæ hoc apponendi cibos ministerio funguntur.*

173. Ordo appositionis, *hic distinctè continet* mensam primam, & secundam:

174. Mensa prima, *hæc à veteribus dividebatur in* antecœnam, *sive gustationem, & in* ipsam cœnam:

175. Antecœna, *à Germanis vocatur* ein Voressen/ (*nam & olim apud nostros invaluerat, ut tres missus* drey trachten/ oder drey gänge *adhiberent, quanquam hodie aliter fieri consuevit*) *à Romanis promulsis; ideo videlicet, quod daretur ante mulsum. Nam antiqui in conviviis, non temerè primam sitim nisi mulso sedabant, quod ipsum principio cœnæ, vel confectum apponi moris fuit, vel ejus loco separatim vinum & mel, ut convivarum quisque pro arbitrio id temperans mulsum sibi conficeret. Apponebantur autem initio convivii ova,* Athen. l. 2. dipnos. Alex. ab Alex. l. 5. gen. dier. c. 21. *Ostrea,* Plut. l. 8. symp. q. 9. *& deinceps lactuca, quæ*

[illegible]ca, quæ veterum cœnas clusit. Martial. l. 13. Epig. 14. Lipſ. l. 3. ant. lect. p. 143. & 147. Stuck. l. 3. ant. conv. c. 1.

176. Cœna ipſa, *quam Germani* das Mittelessen *nominant, in qua lautiſſimi cibi fuerunt appoſiti, cujus præcipuum ferculum, Græci κεφαλὴν δείπνου, Latini caput cœnæ dixerunt, de quo ita* Lipſ. l. 3. ant. lect. p. 147. Hanc gallinam, & hos pullos, & olivas, & rapula, & capparim, omnia ſimul propriè cœnam dixero; caput autem cœnæ hujus gallinam ipſam. *Vid.* Stuck. l. 3. ant. conv. c. 1. & Alex. ab Alex. l. 5. gen. dier. c. 21. *ubi nonnullorum principum magnificum in conviviis apparatum, & incredibilem ferculorum numerum recenſet: quæ tamen omnia longe ſuperat profuſiſſimum illud epulum, quod* Georg. Nevill *Archiepiſc. Eboracenſis in inauguratione ſua celebravit, cujus deſcriptionem habet* Franciſcus Godvvinus in præſulibus Angliæ. p. 65. & ſeqq.

177. Menſa ſecunda, *quæ Germanis* das Nachessen / Nachtisch / oder Schlafftrunck *dicitur, hodiè, ut olim, partim juſculis quibuſdam, partim lacte atque caſeo, partim tragëis mellitis, & ſaccharatis, partim frugibus, pomis, & nucibus, vel crudis, vel coctis, vel conditis; partim denique vinis quibuſdam dulcibus peragitur. Apud Romanos primùm lactuca menſas ſecundas fecit; deinde ut uva, ficus, pyrum, & alia pomorum genera darentur, in uſu fuit: Iberis autem, ut in ſecundis menſis glandem tribuant, magni putabatur. Græcis ova cum turdis, & leporinis carnibus, ac mellitis placentis, ſecundâ menſâ frequentius data ſunt, quibus erat iſte mos, ut in fine cœnæ linguas igne torridas, poſt ſermones, deguſtandas darent. Conſule* Alex. ab Alex. l. 5. gen. dier. c. 21. *veteres quoque lauri folia nonnunquam inter bellaria adhibuiſſe teſtatur* Athen. l. 4. *Vid.* Lipſ. l. 3. ant. lect. p. 156. & Stuck. l. 3. ant. conv. c. 2.

178. Modus apponendi, *hic variis ceremoniis fuit peractus. Nam, ut teſtis eſt* Athenæ: l. 2. *olim moris fuit, ut convivij domino ſimul ac diſcubuiſſet, traderetur ſchedula, quæ deſcripta ordine obſonia haberet; ut jam q[illegible]ire poſſet, quid primùm, quid poſtremùm coquus miſſurus eſſet. Vetu[illegible]i quoque moris fuit, referente* Alex. ab Alex. l. d. *fercula exquiſita & lautiora à miniſtris coronatis cum cantu & tibicine in cœnis ſolennibus afferre. Vid.* Lipſ. l. 3. ant. lect. p. 156. *Porrò non ſingulos ſervos, ut hodie ferè moris eſt, ſingula fercula, ſed menſas ferculis onuſtas duos ſervos convivis jam accubantibus antiquitùs apponere fuiſſe ſolitos,* Bayſius *probat.* l. de vaſcul. *Immò Nero Imp. verſatilia cœnationum laque-*

aria commentus est, ut cum fercula admittebantur, aliæ facies nubi ubi desineret, alia appareret. Sueton. in ill. vita.

179. *In vasis escariis, quibus cibi mensæ apponebantur, Romani admodum frugales fuerunt. sicut hodie Turcæ: At Nero, Heliogabalus, Vitellius, hâc in parte fuerunt luxuriosissimi. Vid.* Alex. ab Alex. l. 5. gen. dier. c. 21. Stuck. l. 3. ant. conv. c. 2. extremo, & Alsted. d. l. §. ... *ubi refert: quod Papicolæ fingant catinum illum, quo Christus usus fit in ultimâ cœna, superesse Genuæ, civitate Liguriæ, e Smaragdo, quo vase nullum mirabilius esset visum: Alÿ vero dicunt illum reservari in Galliâ Narbonensi in cœnobio quodam agri Lugdunensis.*

180. Distributio ferculorum; *Fuit sane hic mos & antiquissimus, & plerisque gentibus communis, ut ciborum potulentorúmq; certæ partes singulis convivis distribuerentur. Ac quod Judæos attinet, ex nonnullis sacræ scripturæ locis,* 2. Sam. 6. 1 Paralip. 16. *patet, hanc apud ipsos viguisse consuetudinem. Ita ut de Græcis, & præsertim Lacedæmoniis qui creodætas, hoc est, carnium in sympósiis divisores habuerunt viros primarios, nihil dicam; Romanos accuratam ciborum dividendi rationem observâsse, scriptores,* Juven. satyr. 5. & 11. *testantur, qui structorum nomine vulgò noti sunt.*

181. *Hoc autem officium interdum servis demandatum erat, ut apparet ex* Senec. l. 6. ep. 47. *nonnunquam penes coquos dividundi munus fuit. Hodie hac ciborum anatomia; quam nostrates* zerlegen oder Fürschneiden *dicunt, aliquando ab ipso convivatore, aliquando ab aliquo convivarum honoratiore, vel certè ejus artis peritiore, ut in Germaniâ, fieri consuevit: Quibusdam tamen in locis id juvenum est, qui convivio intersunt, munus; in aliis servorum; in nonnullis ut quisque videri vult laudatissimus, atque civilissimus, ita ultrò solet officium sibi desumere: In Angliâ puellæ atq; mulieres ejus artis peritissimæ, ministerium illud obeunt. Confer* Plut. l. 2. symp. q. 10. & Stuck. l. 3. ant. conv. c. 3.

182. *Observatum quoque est antiquitùs, ut qui erant inter convivas, honoratiores, lautioribus, atque præstantioribus partibus honorarentur: Nec solùm præsentibus, sed etiam absentibus partes de cœnâ mitterentur, quod Græci πέμπειν ἀπὸ τραπέζης,* Xenop. l. 8. Cyrop: *Germani* ein Hoffessen/ *sive* ein bescheiden essen/ *vocant. Sic Caligula equiti Romano hilariùs contra se, avidiúsque vescenti, partes suas misit.* Suet. in ips. vitâ.

183. Sumtio ferculorum: *hac in specie respicis tùm* cibum, *tùm* potum.

184. Ci-

184. Cibum. *Hic ordinarius quidem locus esset. de variis cibi sumendi modis, gestibusque civilibus ac incivilibus, de abstinentiâ item, vel ab omnibus, vel certis ciborum generibus nonnullis gentibus usitata, quæ apud bonis commeatus auctores occurrunt, afferendi: sed quia jam sub ipsis manibus crevit materia; ad alios meum lectorem ablegabo. Videantur* Syrac. c. 31. Plut. l. 8. symp. q. 8. *& alibi.* Philostrat. l. 2. Stuck. l. 3. ant. conv. c. 4. & 5. Alsted. d. l. §. 111. & seqq. Alex. ab Alex. l. 5. c. 5.

185. Potum: *hic separatim trutinanda, tùm* varia potus genera, *tùm* ipse potandi actus.

186. Varia potus genera. *Antiquissimus maximéque simplex potus est aqua, quæ sola ante Noachum in usu fuit. De hâc ita* Boëtius *de primâ ætate loquens:* Somnos dabat umbra salubres, potum quoque lubricus amnis. *&* Clem. Alex. l. 2. pædag. c. 2. Potus naturalis, sobrius, sitientibus necessarius est aqua. *Hinc in antiquis Romanorum cœnis non modò frigidæ, sed calidæ quoque aquæ fit mentio; quam tamen contra naturam esse probat* Plin: *argumento brutorum, quæ natura duce frigidam sequuntur. Vid.* Stuck. l. 2. ant conv. c. 6.

187. *Præstantissimus tamen omnium potus vinum est, quod nihil aliud nisi liquida substantia ex uvis expressa est, quæ ebullitione vires acquisivit. Hujus originem inventionemque variis olim adscripserunt ethnici, sive Deunculis sive hominibus, de quibus vide* Athen. l. 2. *Ex sacris verò constat, Noachum primum vinisatorem fuisse,* Genes. 9. *Principalis tamen, ut omnium bonorum, ita vini quoque dator auctórq; celebrandus est Deus optimus maximus; quicquid etiam hâc in parte Manichæi delirent, vinum à principe tenebrarum esse existimantes. De hujus commodis vid.* Stuck. l. 3. ant. conv. c. 7. Alsted. d. l. §. 98. & seqq.

188. *Nonnullis tamen populis vini usus interdictus fuit. Apud Romanos mulieres adeò fuerunt abstemiæ, ut vinum bibisse perinde esset, ac si in adulterio deprehensæ capitali judicio plectenda foret,* Polyb. l. 6. Dionys. Hal. l. 2. Plin. l. 35. c. 13. *Idem Massiliensibus & Milesiis, pluribúsq; Græcorum & Barbarorum gentibus in usu fuit, ut viri pariter ac mulieres hydropotæ essent,* Ælian. de variâ hist. l. 10. c. 9. *&* Athen. l. 10. c. 9. *Sic apud Locrenses Seleucus vinum adeo aversatus fuit, ut etiam morbo affectis dari inhibuerit, cavítque ut qui vinum biberet, capite lueret,* Ælian. de var. histor. l. 2. c. 33. *Et Indi quoque adeò fuêre abstemii, ut nisi sacrorum causâ vinum bibere nulli fas foret. Vid.* Strab. l. 15. Philost. in vit. Apoll. l. 3. Al. ab Alex. l. 3. gen. dier. c. 11.

189. *Quia*

189. *Quia verò in nonnullis regionibus vinum non nascitur. & non copiosè invehatur, sufficere non poteſt, ut omnes in communi id bibant, factitia vina homines singulari arte parare cœperunt; in quibus excellunt, tùm Sidra, quæ ex fructuum arboreorum, inprimis pomorum succo conficitur, noſtrates* Leyer *vocant; tùm Zythum sive Cerevisia, cujus usum apud Ægyptios olim viguiſſe, teſtatur* Herod. l. 2. in Euterpe: Ægyptii vino utuntur factitio ex hordeo, desunt enim in eâ regione vites. *Ejus conficiendi rationem, vid. apud* Cornar. de conviv. p. 30. & seqq. *Apud nonnullos etiam vina saccata, quæ Clareti ac Hippocratis nomine nota sunt, non sine singulari voluptate bibuntur. Consule* Stuck. l. 3. ant. conv. c. 9. extremo.

190. *Notabile quoque eſt, nonnullos populos abſque potu inebriari,* Athen. l. 10. c. 10. *memoriæ prodit: Scythas cum inebriari gaudeant, & abſtemii sint, si quando ebrietatis dulcedine capi vellent, in ignem conjectis herbis, & fumo hauſto, haud aliter quàm vino epoto madidos fieri. Idem* Solinus. c. 15. *de Thracibus tradit, qui epulantes, focos ambiunt herbarum semine ignibus injecto, cujus nidore capti, ebrios imitantur. Quod* Herod. l. 1. extremo *Babyloniis quoque aſcribit. Sic* Strabo. l. 15. *teſtatur Indos ex fructu arundinum, quæ mel gignunt, aut vino ex dactylis inebriari.* Alex. ab Alex. l. 3. gen. dier. c. 11.

191. Ipſe potandi actus, *diſtinctè continet, tùm* methodum propinandi & bibendi; *tùm* pocula.

192. Methodus propinandi, & bibendi, *hæc varia fuit apud varios. Apud Hebræos paterfamilias solebat, cùm primum mensæ accubuiſſet, poculum vino refertum dextrâ manu tenendo, hujuſmodi precatione uti:* Benedictus ſis tu Domine Deus noſter, rex mundi, creator fructus vitis; *finito sermone prior vinum deguſtabat, idémque mox omnibus mensæ accumbentibus deguſtandum porrigebat. De Græcorum propinationibus ita* Suidas: Græciæ reges ſive principes ſolenni die, quem Philoteſium appellabant, miſcentes aureis atque argenteis poculis vina, calicem primùm à poccillatore ſumebant, ac parum ex eo præbibentes, quod magnæ amicitiæ erat ſymbolum, illum deinde cui volebant, porrigere ſolebant. *De Romanorum propinationibus vide* Herodian. l. 1. & Stuck. l. 3. ant. conv. c. 10.

193. *Fiebat autem hæc propinatio, aliquando tranſverſim* Creutzweis *ut Germani vocant; aliquando in orbem, quod Græcis eſt ἐν κύκλῳ πίνειν, Latinis à summo bibere. Fuit enim hic Romanis in omni convivio solennis mos,*

mis, cum paulo hilarius invitare se vellent; ut à summo, id est, ab eo contra qui summus accumbebat, ad imum biberent: cui quidem potioni à summo, exclusis cæteris poculis, solam pateram adhibuerunt. Bibebant quoque olim ter in honorem Charitum, & novies in honorem Musarum. *Videatur* Plutarch. l. 3. symp. q. 9. Lips. l. 3. ant. lect. p. 151. & seqq. Stuck. l. 3. ant. conv. c. 11. & 14.

194. *Sed ut & de nostratibus aliquid afferam, superior Germania, & ad Rhenum citra ultraque sita parvis poculis, ita ut quisque suum habeat, delectatur, & satis frequenter etiam circumagitat, & evacuat; sed ut in multis civitatibus partim lege partim consuetudine receptum sit, ut neuter alteri bibendo propinet. At inferior, & ad septentrionem vergens, amplioribus poculis gaudet, & ex his bibere etiam ex ordine, modò ad dextram, modò ad sinistram solent; id quod apud Græcos quoque in usu fuisse ex symposio* Platonis *patet, ubi Socrates ex magnâ phialâ ex ordine ad dextram bibere perseverat.*

195. *Hoc quoque observatu dignum: superiorem & mediam Germaniam perpotationes in noctem non adeo, nedum in diem extendere, sed plerumque ante vel circa secundam vigiliam, ex symposiis domum concedere; at in inferiori Germaniâ, maximè in urbibus Cymbricæ Chersonesi, quæ Danica est; vicinis, de cœnis ad secundam vigiliam transitur ad cellas vinarias vini Rhenensis, inde ad tertiam vigiliam digrediuntur ad apothecas cerevisiarias, Embeccensem cerevisiam habentes, ut ex hujus frigidissimo potu, vini hausti calorem temperent; quo facto ad illucescentem usque diem ad condita illa, & saccata vina transeunt, rursus temperamentum quærentes frigiditatis ex cerevisiæ potu contractæ. Vide* Jan. Cornarium de conviv. p. 32. & seqq.

196. *Ob has igitur perpotationes nocturnas Germani nostri, sicut olim Græci, valde celebres sunt, mirúmque in modum ab omnibus fere, inprimis Italicis sobriis illis, veluti videri volunt, gentibus exagitantur. Sed illas meminisse volo verborum, quæ extant apud* Jan. Cornar. de conviv. p. 34. Nec enim parva laus ea existimanda est, vinum multum bibere, & idem optimè ferre posse; aut enim bibere non oportebat, aut bibentem vino non gravari, sed id rectè ferre.

197. Pocula. *Horum considerandа* materia & magnitudo.

198. Materia poculorum. *Fiebant autem pocula, vel ex craneis humanis quibus Scythæ usi sunt,* Solinus; *vel ex cornibus animalium,*

fago, Ovid. 5. Fast. *buxo, terebintho, thamarisco, fraxino, ligno guaiaco, vel ex luto, inprimis Samio, quæ dicuntur fictilia*, Tibull. l. 1. Eleg. 1. *Vel e vitro*, Plin. l. 36. c. 26. *Vel e crystallo*, Plin. l. 33. c. 1. *qui* l. 37. c. 2. *fer... murrhina quoque pocula magnis in deliciis apud Romanos habita; Vel denique ex metallo, auro nimirum, argento, ære, & stanno, in quibus nonnunquam artificiosas cælaturas, nonnunquam obscænas picturas videre licet. Maximè tamen naturale poculum manus est, qua Judas*, Jud. 7. *Nero Imp. in fuga*, Sueton. in ejus vitâ, *usi sunt*.

199. Magnitudo poculorum, *hæc interdum incredibilis & monstrosa pene fuit. Nestor apud* Homerum *habuit tam capax poculum, ut juvenis vix gestare potuerit; ast ille unico haustu quam facillime evacuavit. In symposio* Xenophontis *poculis bibunt parvis, & ut ita bibant Socrates hortatur, quo non a vino ad ebrietatem coacti, sed persuasi pervenirent.*

200. *In superiori Germaniâ poculis gaudent parvis in conviviis, ad magna verò raro deveniunt, etiamsi in mensâ poni soleant unum atque alterum; At inferior Germania poculis valdè amplis & magnis delectatur. Atque ut ita à nostris fiat, ipsa regionum temperies, & potuum diversitas suadet.* Nihil enim miri est, *inquit* Cornar. de conv. p. 30. homines quanto magis ad aquilonares partes habitant, tanto plus bibere, atq; sic reficcatis corporibus mederi cupere, *& paulò post*, p. 31. Necesse est populos illos ex multo potu caliditatem & humiditatem sibi quærere, quò ex multitudine potus id consequantur, quod natura potus exhibere non potest. *Vid.* Stuck. l. 3. ant. conv. c. 12. & 13.

201. Animum. *Hic agendum de sermocinatione, sive colloquio mutuo, quod q. alter quidam est mentis cibus, conviviique suavissimum condimentum.*

202. *Sed hic non immeritò quæritur, quibusnam de rebus inter epulandum dici debeat?* Agell. l. 13. c. 11. *hanc* Varronis *commemorat sententiam:* Sermones igitur id temporis, habendos esse censet non super rebus anxiis, aut tortuosis; sed jucundos atque invitabiles, cum quâdam illecebra & voluptate utiles, ex quibus ingenium nostrum venustius fiat, & amœnius: Quod profectò, *inquit*, eveniet, si de id genus rebus ad commmunem vitæ usum pertinentibus confabulemur, de quibus in foro, atque in negotijs agendis loqui non est otium. *Germani dicunt:* Nicht von Reichssachen. *Vid* Macrob: l. 7. Saturnal: c. 1.

203. *Negari tamen non potest, si persona locusq; id permittant, in*

conviviis

in conviviis de rebus quoq; seriis, Theologicis nimirum, philosophicis, politicis, œconomicis, & historicis sermocinationem institui posse: Quanquam hæc in parte delectent, ioci, sales, facetiæ, gryphi etiam & ænigmata, longè gratiora sunt, de quibus Plutarch. l. 2. symp. q. 1. & Macrob. l. 7. Saturn. c. 3. *agunt. Vide quoq;* Stuck. l. 3. ant. conv. c. 17. & Plut. l. 1. symp. q. 1. *ubi disserit*: Sitne philosophandum inter pocula?

204. *Persarum mos fuit, inter pocula de rebus seriis consultare.* Strabo. l. 15. extr. *Græci postquam magnificè epulati fuerunt, quasi refoto animo de bellis decernebant.* Athen. l. 4. c. 5. *Hæc consuetudo etiam Germanorum fuit, ut de pace & bello, de fœderibus, societatibus, amicitiis, sponsaliis, & pactis in conviviis inter pocula decernerent.* Tacit. de morib. Germ. *Idem de Britannis* Alex. ab Alex. gen. dier. l. 5. c. 3. *& de Bractranis.* l. 5. c. 21. *testatur.* Plutarch. l. 7. symp. q. 9. & 10. Stuck. l. 3. ant. conv. c. 19.

205. *In symposio* Platonis *de laude amoris: In* Xenophontis *de commendatione eius rei, quâ quivq; convivarum excellit, instituitur dissertatio.* Apud nos, *ut inquit* Cornar: de conv: p. 40. sermones symposiorum sunt ferè extemporales, de his rebus, quæ simul ut inter ipsos præsentes fiunt, ita colloquendi occasionem præbent, nisi fortasse quis aliquid novæ ac recentis famæ afferat, de præsenti rerum statu, fortunarum mutatione factâ, aut sic se habente ut mutatio aliqua futura credatur; de quâ re etiam is libentissime ab omnibus auditur, qui & paucis, & facundo & jucundo sermone transigere potést.

206. *Odiosum tamen est, inter pocula sapientiam ostentare conari; quâ in re hodiernum philosophorum genus mirificè superciliosum est, quod ut primos accubitus, ita etiam primas dicendi partes sibi sumit, & cedere nescit. Ut non ineptè, quod* Martialis *poëta scripsit:* Quod optimum sit quæritis convivium? *& respondit:* in quod choraules non venit: *apud nos in hanc ferè formam mutari possit:* In quod Philosophus non venit. *Confer* Jan. Cornar: de conv. l. d.

207. *Hunc quoq; antiquorum morem fuisse legimus, ut non modò convivæ sermones inter se sererent, sed etiam lectores adhiberent, qui antiqua quædam monumenta auscultantibus legerent. Sic Heidelbergæ, Tu-*

reliquis prandentibus, unus aliquot legit virorum clarorum commentarios.

208.. *In omnibus autem, ut substantialia conviviorũ concludam, pono: conviviis, inprimis Romani, certas bibendi leges promulgárunt, quas, qui ferebat, Magister vulgo dicebatur,* Varroni *Mod*[illegible]*erator,* Horatio *Arbiter,* Plauto *Dictator. Eligebatur autem hic magistratus vel solà corollæ impositione, vel sorte in qua tali adhibebantur: cum autem varii talorum jactus sint, Venus, Canis, Senio, Chius; proprius ex his Magistro creando fuit Veneris jactus; qui igitur primus è convivis Venerem jecerat, is Magister. Vid.* Lips. l. 3. ant. lect. p[illegible]9. & seq.

209. *Inprimis tamen memoria digna mihi videntur illæ leges conviviales, quas* d. l. p. 150 *recitat* Lipsius:

I. Vinum purum putum puer infundito.
II. Nymphis in hoc regno, aqua & igni interdictum esto.
III. A summo ad imum more majorum bibunto.
IV. Paterâ vinum circumferunto.
V. Decem cyathi summa potio sunto.
VI. Musis nonum, decimum Apollini libanto.
VII. Dominam si quis habessit, indicium facito.
VIII. Ejus & propitiæ Deæ nomine supra numerum bibito.
IX. Dicta & jocos usurpanto.
X. Ast intra licentiam & convicia utraque sunto.
XI. Rixæ, clamor, contentio, ad Thraces ablegantor.
XII. Eorum vicem carmen aliúdve quid musarum proferunto.
XIII. Déque eo modicè & modestè anquirunto.
XIV. Angeronæ sacramentum habetor.
XV. Dicta, indicta, facta, infecta in vino inscribuntor.
Qui hasce leges fraususesit, sacer, intestabilis vivito.

210. Oblectamenta conviviorum, *sunt* Unguenta *&* coronæ; Musica; & ludi conviviales.

211. Unguenta & coronæ. *Ac ut de unguentis primùm dicamus, fuit horũ priscis temporibus, præsertim apud Orientales, cùm in omni vita consuetudine, tùm potissimùm in conviviis, tàm creber & frequẽs usus, ut singulis corporis membris, singula & peculiaria unguenta accommodarent. Hinc* Athenæ. l. 15. *antiquos* φιλομύρους *fuisse scribit, id est, unguentorum studiosos. Horum primos inventores fuisse Iones prodidit* Valer. Maxim.

Maxim: l. 2. *Ast hodiè unguentorum apud nos exiguus, aut planè nullus est usus: Socrates quoq; in symposio* Xenophontis *eadem improbavit. Vid.* Stuck: l. 3. ant. conv. c. 15. & Pont. l. 2. Progymna.

212. *Coronarum primum auctorem antiqui fecerunt Janum Simplentor. ut testatur* Athen. *quibus in sacris, certaminibus, ludis, victoriis, triumphis, nuptiis, inaugurationibus, & funeribus veteres utebantur. Fiebant autem coronæ vel ex hederâ;* Plinius l. 16. c. 1; *vel ex nardo,* Plin. l. 21. c. 3. *vel ex myrto.* Horat: 1. od. 4. *vel ex rosis,* Horat. l. 2. od. 3. *vel ex lauro,* Sueton: in vit. Tiber. *vel è phylira,* Ovid: 5. fast. *vel ex apio,* Horat: l. 2. od. 7. *vel ex liliis,* Athen. *vel deniq; ex aliis floribus herbisq;, de quibus* Stuck. l. 3. c. 16. *& inprimis* Carolus Paschalius libris 10. Coronarum.

213. *Fuit autem coronarum usus Christianis primitivæ ecclesiæ valdè exosus, credo quòd à gentibus, partim superstitiosè in sacris, partim luxuriosè in epulis adhiberentur. Consule* Tertul: in. l. de. coron: milit: & Clement: Alexand: l. 2. pædag. *Apud nos coronarum, in symposiis præsertim, usum superior Germania, itemq; inferior & septentrionalis, penitus ignorat, cum tamen media, in qua Misnenses, Lusatij, Voigtlandi, & Thuringi censentur, ita coronis delectetur, ut coronariæ mulieres, non exiguum apud illos quæstum faciant, & quibusdam festis plus in serta & coronas absumi impendatur, quam in aliquâ reliquæ Germaniæ urbe, eâdem die in virum consumatur, servatâ urbis ad urbem iuxta magnitudinem proportione. Vid* Plutarch. l. 3. symp. q. 1. & Cornar: de conv. p. 38. & seq.

214. Musica: *Hæc partim humanâ voce exercetur, partim fidibus atque instrumentis constat: quorum, ut* Chrysosth: *scribit, tria genera sunt: Alia enim sunt ἐμπνευστά, quæ inflata ab hominibus sonum edunt, ut tubæ, buccinæ, cornua, tibiæ, fistulæ; alia ἔγχορδα, quæ nervis constant, & vel plectro vel digitis tanguntur, ut cytharæ, testudines, lyræ, sambucæ, barbiton; alia κρουστὰ quæ pulsantur, ut tympana, cymbala, & campanæ.*

215. *Constat autem, musicæ usum apud omnes fere gentes, inprimis Hebræos, Græcos, & Romanos in conviviis viguisse; qui vel sacros psalmos cecinerunt,* Marci 14; *vel deunculorum suorum hymnos decantârunt,* Athen. l. 14. *vel hominum clarorum virtutes, facinoraque præclarè gesta carminibus cantilenisq; celebrarunt.* Hom: od. α. *Idq, tum ipsi convi-*

216. Plato *in symposio suo apud Agathonem tibicinam ejicit, & aut sibi, aut mulieribus jubet canere. Apud* Xenophontem *tibicina non modò adhibetur, sed sympotae etiam ipsi canunt, ipsoque Socrate cantilenam exorso.* Plutarch. l. 7. symp. q. 7. *contra Platonis testimonium adducit hanc Xenophontis auctoritatem, Homericarum epularum exemplum, necnon alias rationes, quibus probat, hujusmodi elegantiam & oblectationem, minimè esse è convivio exturbandam.*

217. *Apud Germanos nostros musica instrumenta varia, nova, & à veteribus incognita, sæpius in conviviis inducuntur, & jucundissime viva vocis humanae cantilena personant; verum ut ipsi convivae canant, neque in superiore, neq; in inferiore ad Oceanum Germaniâ adeo receptum est; his enim regionibus extrinsecus cantores int roducuntur. At in media Germaniâ, his præsertim locis, ubi metallicæ sunt fodinæ, ipsi convivae subinde novis à se confictis melodiis hilarissimè intonant. præsertim si quid novi metalli, auri maximè ac argenti, recens se in fodinis ostendit. Consule.* Cornar. de conv. p. 37. & seq.

218. *Musicae autem comes ac pedissequa esse solet saltatio; cujus originem vel ab observatione diversi motus stellarum errantium & fixarum; vel à religione & sacris promanasse putant. Primam chorearum inventionem nonnulli ad Musæum & Orphea referunt; alij Erato primam fecerunt saltationis inventricem; alij ad Hieronem Siciliae tyrannum referunt: eum quippe, aiunt, ut suam tyrannidem stabiliret, populo interdixisse mutuis colloquiis, quare cepisse homines in Siciliâ cogitationes gestibus corporis exprimere, idque postea in usum & consuetudinem abiisse: Nonnulli tamen Iones primùm saltationes invenisse dicunt.*

219. *De his, qui vult, legat,* Plutarch. l. 9. symp. q. 15. Cæl. Rhodig. l. 5. c. 3. & 4. Athen. *passim;* Scalig. l. 1. Poët. Stuck. l. 3. ant. conv. c. 21. *&* Iohan. à Münster. Nobilem. Germanum in l. de saltatio: *Quid enim nos, de promiscuâ masculorum cum fœminis hodie usitatâ saltatione sentiamus, ex corollariis mox apparebit: quanquã cùm non in Platonis Republ. sed Romuli fæce vivamus, consuetudini non nibil hâc in parte dandum censeamus.*

220. Ludi conviviales. *Horum innumera penè sunt genera, de quibus copiose scripsit* Pollux. l. 9. Plutarch. l. 7. symp. q. 8. *moris Romæ fuisse dicit, ut Platonis dialogi dramatici dicti, ut & comœdiae atque tragœdiae animi ludiq; causâ agerentur. Apud Romanos, Campanos, ac Tyrrhenos, crudeles illa monomachia pugnaq; gladiatorum etiam in pri-*

vatis.

variis conviviis, usitata fuerunt, de quibus multa tradit Athenæus l. 4. c. 17. *quæ acriter insectatus est* Tertullianus.

221. *Præ cæteris tamen, ut olim, sic hodie in symposiis lusus aleæ adhibetur, de quo ita* Suetonius in vit: August: Aleæ, *inquit*, rumorem [nam aleæ lusus erat infamis] nullo modo expavit, lusitque simpliciter & palàm oblectamenti causâ, etiam senex &c. *Claudius quoque Imperator, ut idem* Sueton: *scribit, aleæ ita fuit addictus, ut de illius arte librum quoque emiserit, & in gestatorio quoque, id est lectica, quo vehebatur, ludere fuerit solitus. Confer* Stuck: l. 3. ant. conv. c. 22.

222. *Apud nostrates hodie varia ludorum genera frequentantur, quorum nonnulla veteribus incognita fuerunt: Ea verò non tam lucrifaciendi gratiâ mihi excogitata esse videntur, ac in symposia admissa, quam ut hi qui vinolentiam ac ebrietatem ferre nequeunt, per hos ludos illam defugiant ac relinquant: ludos autem dico aleæ, latrunculorum, fritilli, cuborum, & chartarum quaternis coloribus inter se distinctarum. Hos tamen ludos non ita probari ab Oceani accolis, velut media & superior Germania eos amplectatur, asserit,* Cornar. de conv. p. 36. Et tantum de convivii concomitantibus.

223. Consequentia conviviorum: *Hic primò, ut paucis nos expediamus, consideranda remotio mensæ: fuit autem priscis, inprimis Romanis, solenne, ut mensam nunquam vacuam tolli juberent, semperque prandii vel cœnæ partes superesse vellent; idque vel antiqui victus parsimoniâ, vel religionis persuasione ducti, fecerunt: Consule.* Plut. l. 7. symp. q. 4. & Alex: ab Alex. gen. dier. l. 5. c. 21 extremo.

224. *Non minùs deinde tritum & usitatum fuit, atque nunc est, poculo quodam certo, sive propinatione cœnam terminare, idque partim religionis, partim amicitiæ ergo: Hebræi poculum istud vocârunt,* Hælel. *de quo confer* Scalig. de emend. temp. l. 6. *A Græcis vocatur poculum* Διὸς σωτῆρος, *Jovis servatoris, &* ἀγαθοῦ δαίμονος, *boni dæmonis sive fortunæ. Cuius vestigia apud Germanos non obscura apparent: peractâ enim cœnâ, postquam convivæ surrexerunt, & iam iam sunt discessuri, ingens phiala generosioris vini circumfertur, ex quâ omnes bibunt, quod ein* Schlaftrunck *vocant: Vid.* Stuck. l. 3. ant. conv. c. 23.

tus in virorum conspectũ non adducunt. Macrob. l. 7 Saturn. c. 1. & Athenæi l. 4. c. 14. *Abydeni postquam opipare epulati sunt, infantes admittunt garrulos & festivos, ut his obstrepentibus convivæ alacriores fiant,* Æl. … l. 12. c. 9. *Cato Uticensis à cœnâ deambulavit.* Plutarch. in ill. vit. … *Pomponius Atticus libellos lectitavit: alij alia tractarunt, de quibus lege apud* Al. ab. Alex: gen. dier. l. … c. 21.

226. *Fuit etiam antiquitùs moris, in magnificis conviviis ut munera à cœnâ darentur convivis domum deferenda, quæ quidem Apophoreta … runt appellata.* Plutar. in vit. Alex. *refert, quod in ipsius convivio nuptiali, cùm novem mille fuissent convivæ, singulis data sit phiala aurea ad libationes. Confer etiam* Iul. Capit. in vitâ. L. Veri. Impe.

227. *Convivæ quoque vicissim munuscula quædam convivatori nonnunquam dare solebant, antequam discederent: quæ fuerunt vel debita … sunt symbola, collectæ, commessalia &c. vel gratuita.* Xenoph. l. 2. de. Cyri exped. *Thracibus usitatum esse scribit, ut qui a rege invitarentur, pro copiis suis & dona dent. Apud Germanos multis in locis tritum atque receptum est, ut ancillis & famulis præmiola pecuniaria donentur. Consule* Stuck. l. 3. ant. conv. c. 24.

228. *In inferioris Germaniæ urbibus, maximè Daniæ vicinis, cum convivæ, qui totam noctem strenue perpotarunt, domum revertuntur … pe ac quasi pompâ quadam per publicas vias incedunt, qui … eâ gravitate ac reverentia, ut omnes obvii in via fuorum … venientes, de viâ illis decedant, bene precentur … obitæ functionis collaudent. Neque hoc honoris a vulgo illis tribuitur, … summis magistratibus, si forte in illos incidant: ut refert* … conv. p. 34. Et tantum de conviviorum consequentibus.

229. *Atque hæc sunt, quæ de Conviviis in præsentia breviter afferenda censuimus.*

230. *Fit verò quemadmodum cum Deo incepimus, hunc nostrum laborem piis precibus finiamus; Deum ter optimum ter maximum summum illum convivatorem devoto rogamus pectore, ut qui nobis hactenus non solùm quotidianum necessariúmq; victum copiosè satis ac benignè largitus est, sed etiam ad spirituales filij sui nuptias nos invitavit, animasque nostras languidos & famelicos vivifico suo verbo & pretioso corpore & sanguine* IESV CHRISTI *ceu unicâ omnium morborum spiritualium panaceâ, & immortalitatis pharmaco pavit & refecit; ut inquam pro … immensâ sua misericordia, ardentique, quo nos diligit, amore nobis ulterius*

vius adesse, & clementer efficere velit, ut liberati vinculis corporis in aeternam domum remigremus, purgati terrena fece omnes beatitudinis numeros habeamus, & cum Abrahamo, Isaaco, & Jacobo in caelis accumbentes, pane Angelorum cibemur, ab agno ad vivificos aquarum fontes deducamur, perennasi utróque gaudio ceu flumine inebriemur! Illi sit laus, honor, & imperium in omne aevum.

Sed ut Dominis Studiosis ampliorem disserendi materiam suppeditem; decadem quaestionum convivalium, corollariorum loco adjicere placuit. Nec enim ea, quae inhisce occurrunt, historica pariter & philologica, ad quorumvis gustum & salivam sunt.

1. An praestet certam cibi sumendi horam habere? A.
2. An cum impiis & infidelibus Christiano homini convivari liceat? A.
3. An matres proprio lacte infantes nutrire debeant.? A.
4. Utrum largius prandendum, vel coenandum sit? post. A.
5. An statim post exercitationem, vel balnea cibus sumendus? N.
6. An musica sit in convivijs adhibenda? A.
7. Utrum saltationes promiscuae faeminarum cum masculis sint probandae? N.
8. An inter pocula consultandum sit? D.
9. An ad virorum convivia mulieres adhibendae? D.
10. An hominum vita sine victu subsistere queat? N.

SPONGIA QUORUNDAM ERRATORUM.

In proëm. l. 20. pro *omninegâ* - lege *omnigenâ*.
l. 21. pro *pe theses* - lege *per theses*.
Thesi 106. l. 6. pro *factitâsse* - lege *factum esse*

AD NOBILEM ET ORNATISSIMUM DN. Respondentem, convivium philosophicum opipare & splendidè satis apparantem.

Quod bene cum Musis convivia docta celebras,
Lusatidos doctae spésque decúsque Tuae:

Perge age. Sic magnum magnâ cum laude Parentem,
PEUCERUMq; tuum rite referre potes.

MATTHIAS BERNEGGERUS

Fercla paras Sophiæ, variis collecta canistris,
O gratos animo. nectareosque cibos!
Ad Patris illa tui facient alimenta palatum:
Nec sunt convivis displicitura bonis.
Mentem perge tuam divinis pascere cœnis,
PEUCERI clarum BICCIADÚMq; genus!

M. CASPARUS BRÜLOVIUS, P. L. Cæs. Poët. Profess. P.

I.

DUm convivaris, tuaque ad convivia docta
Invitare alios, suavis Amice, studes;
Hæc in Parnasso resonat vox undiq; : nostri
Pegasei fontis paucula restat aqua.
Nam BERNEGGERO duce qui convivia adornat,
Cum sociis haurit BICCIUS omne suis.

II.

SI convivator Musarum factus in Urbe
Es BICCI, quænam publica signa geris?
Si placet, AD CORNU PHOEBI, quod copia dives
Usq; beat, mensam sic vocitare potes.
Recte: Cum Musis bene convivare politis,
Cum Charisin docto gutture pocla bibis:
Hinc quoq; multijugæ doctrinæ & laudis opima
Ambrosia, & nectar sat tibi semper erit.

JAC. BARTSCHIUS LAUBA-LUSATUS, Phil. M. & P. Cæs. φιλίατρος.

QUid? quid? vota tibi, Frater mellite, sacrabo,
Dum nos ad Sophiæ fercula lauta vocas.
Jmò litare tibi mens est: laudabile cœptum
Hocce tuum Rector, qui regit astra, regat.

ZACHARIAS Pickt Budissinus.

FINIS.